

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ

SAECULUM XV.

THOMAS SENECA
HISTORIA BONONIENSIS

QUALITER GALEATIUS MARESCOTTUS EQUES EXTRAXIT
HANNIBALEM BENTEVOLUM DE CARCERIBUS ET RELIQUA
PER UTRUNQUE GESTA

— CARMEN EPICUM —

EDIDIT
IOSEPHUS FÖGEL



MCMXXXII. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ

SAECULUM XV.

THOMAS SENECA

HISTORIA BONONIENSIS

QUALITER GALEATIUS MARESCOTTUS EQVES EXTRAXIT
HANNIBALEM BENTEVOLUM DE CARCERIBUS ET RELIQUA

PER UTRUNQUE GESTA

— CARMEN EPICUM —

EDIDIT

IOSEPHUS FÖGEL



MCMXXXII. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

INTRODUCTIO.

*De vita Thomae Senecae et Historia Bononiensi eius.*¹

Thomas Seneca circa annum 1390. Camerini natus est. Studiis humanitatis eruditus aliquot oppida Italiae visitavit; Anconae (1420.), Aesi (hodie Jesi, 1425.), Perusiae (1428.), Papias (1430.), Bononiae (1431.), Brixiae (1432—34) docuit. Ab anno 1440. Arimini in aula Malatestarum moratur, ubi a. 1454. inter poetas aulicos certamen exoritur; Basinius enim vere doctum sine litteris Graecis neminem fieri posse affirmavit, quod Porcellio obiecit. Porcellius negavit se Graecis litteris salis imbutum esse, sed poetam sine his studiis quoque doctum fieri posse se sibi esse persuasum pronuntiavit. Porcellio Seneca succurrit, sed ambo devicti Ariminum reliquerunt; Seneca Bononiam repetivit et ibi in studio generali ab a. 1458. usque ad annum 1462. artem oratoriam et poeticam publice docuit. Amicitia Galeatii Marescotti equitis ibidem usus est, qui Italice soluta oratione conscripsit, quomodo ipse Hannibalem Bentevolum ex arce Varani extraxisset (1444.) et Bononiam cives sui tyrannide liberavissent,² et tradidit

¹ Vitam Thomae Senecae Ernestus *Spadolini* scripsit: Tommaso Seneca. (Nozze Ricci-Conti.) Ancona, 1898. — De Seneca et Historia Bononiensi eius vide: E. *Spadolini*: Un poema inedito di Tommaso Seneca da Camerino. Fano, 1902. (Estratto dalla Rivista mensile le Marche illustrate nella storia, nelle lettere, nelle arti edita in Fano.) — Historiam v. profusius: L. A. *Muratori*, RR. II. SS. t. XVIII., p. 668. et sqq. necnon t. XXIII., p. 879. et sqq. — Praeterea: C. *Albicini*: Di Galeazzo Marescotti de' Calvi da Bologna e della sua cronaca. Archivio Storico Italiano, s. III., t. XV., p. 210., t. XVI., p. 95, 295. (1872.); t. XXI., p. 30, 50, 397; t. XXII., p. 442. (1875.) — L. *Frati*: Galeazzo Marescotti de' Calvi nella vita pubblica e privata. Bologna, 1903. (Estratto dagli Atti e Memorie della R. Deputazione di Storia patria per la Romagna, s. III. vol. XXI.) — F. *Ferri*: Una contesa di tre umanisti, Basinio, Porcellio e Seneca (Contributo alla storia degli studi greci nel Quattrocento in Italia.) Pavia, 1920.

² E codice B bis edidit F. *Guidicini*, 1. Cronca come Annibale Bentiuoglij fu preso et menato de pregione et poi morto et uendicato per misser Galeazzo Marscotto di Calui. Bologna, 1869. — 2. Bologna, 1875.

opusculum suum Senecae, ut secundum narrationem suam carmen epicum Latine scriberet. Seneca facta Marescotti in carmine epico, quod Historia Bononiensis inscribitur, a nobis nunc primum edito profusius, quam Marescottus, composuit. Deinde Marescottus opus suum et Senecae et duo carmina Gasparis Tribrachi Mutinensis ad se scripta in codice membranaceo describenda curavit et Hannibali Bentevolo, nepoti Hannibalis Bentevoli ex carcere liberati, tradidit.³ Non multo post Seneca Ariminum reversus ultimum vitae tempus in aula Malatestarum agens ibidem a. 1472. moritur.

Seneca praeter Historiam Bononiensem nonnulla carmina minora quoque scripsit. — Inter eos, qui studia humanitatis profitentur, mediocrem locum occupat; per multi insignes — Philelphus, Ciriacus de Ancona et alii — eum in amicis habuerunt.

De codicibus Historiae Bononiensis.

B — Bononia. Bibl. Communis. No. B. 1176. (Sign. ant. 17. K. II. 71.) Saec. XV., membr. — Codex⁴ continet: Opusculum Marescotti (5r—34r); Historiam Bononiensem Thomae Senecae (1r—55v; paginae denuo numerari coepae sunt); duo carmina Gasparis Tribrachi (57r—61r).⁵ — Codex ab ipso Galeatio Marescotto dedicatus est Hannibali Bentevolo, nepoti Hannibalis Bentevoli ex arce Varani liberati. — Qui codex in textu condendo a nobis praecipue fundamento positus est.

V — Venetiae. Bibl. Nationalis Marciana. MSS. Latini, Fondo antico, No. 460. Saec. XV., membr. Fol. 1r—49v. — Post Historiam Bononiensem tria⁶ carmina Gasparis Tribrachi Mutinensis ad Galeatium Maroscottum scripta inveniuntur (50r—55v). — Codex a. 1913. in hanc bibliothecam devenit. (Provenienza *Contarini* Giacomo.)

M — Monacum (München). Bibl. Civilis (Staatshibliothek). Cod. Lat. 341. Saec. XV., membr. Fol. 1r—57v. — In fine codicis (58r—64v) eadem tria carmina Tribrachi inveniuntur, quae sunt in *V*. — Codex olim in bibliotheca Budensi, quae nominatur Corviniana, Matthiae Corvini

³ Codex ad nostram quoque aetatem remansit (*B*).

⁴ Qui codex saec. XVII. describebatur et nunc Bononiae in Bibliotheca Universitatis se vatur: 75. t. II.: et quidem continet: Opusculum Marescotti (1r—50v), Historiam Bononiensem Senecae (51r—121v), carmina Tribrachi (122r—127v).

⁵ Edidit L. Frati, o. c. p. 99—104.

⁶ E quibus duo eadem sunt, quae in *B* inveniuntur.

regis Hungarorum asservabatur.⁷ In superiore involucrio interno adversus titulum hi inediti versus poetae ignoti inscribebantur:

Accipe, quisquis ad hos vertis pia lumina versus,
 Quem canat in toto pulcherrima Thespia libŕo:
 Magnanimus Galeaz hic est, bellique domique
 Strenuus et patriae servator et inclyta gentis
 Gloria Calvorum, sua quem clarissima gesta
 Illustrem ante alios fama super aethera tollunt.
 Hic libertatis vindex, virtute fideque
 Bentevolum Hannibalem qui tempora longa revinctum
 Difficili ex arce eripuit, vel compede dura:
 Ex quo cernis opus sacrum hoc et nobile carmen, 10
 Docta ubi decantat mirandas Thespia laudes
 Tam ducis erepti, quam servatoris amici
 Quaeque iis contigerint felicia quaeque sinistra.
 Quare tu, o soboles tanto carissima patri,
 Si quā tibi cura est probitatis, si qua tuorum 15
 Gloria te tangit laudumque immensa cupido,
 Nitere virtuti illius, super omnia disce
 Aemula solius fieri studiosa parentis:
 Hunc imitare vigil; vitam et speculeris in illo.
 Ipsa domi, quod quaeris, habes: Quod docta priorum 20
 Ingenia exacto dudum cupiere labore
 Per mare, per terras totumque vagata per orbem.
 Eya age tu, o soboles, pulchra et generosa iuventus,
 Hac iter ad superos tibi sterne, quod haud queat atra
 Laedere, Lethaeas nec mittere Parca sub undas.
 Post cineres vivunt virtute et laude referti
 Et praeclara suis de se monumenta relinquunt.
 Vos inquam, cognata mihi stirps, hortor et oro:
 Perlegite hos numeros, titulis quos Thespia vestri
 Ornat fida patris, cumulata et laude coronat. 30
 Iisque alacres omni ac dociles incumbite nixu,
 Perpetuo ut vivat vestrum post funera nomen
 Sitis et aeterna cum patre in sede recepti.

⁷ † Guglielmo *Fraknói*, Giuseppe *Fógel*, Paolo *Gulyás*, Edit *Hoffmann*: Bibliotheca Corvina. La biblioteca di Mattia Corvino re d'Ungheria. Per cura di Alberto Berzeviczy, Francesco Kollányi, Tiberio Gerevich. Traduzione dall'ungherese di Luigi Zambra. Buda-pest, 1927., pag. 73–74., cod. 73. — Reproductio folii 1r pag. 133.

THOMAS SENECA

HISTORIA BONONIENSIS

QUALITER GALEATIUS MARESCOTTUS EQUES EXTRAXIT
HANNIBALEM BENTEVOLUM DE CARCERIBUS ET RELIQUA
PER UTRUNQUE GESTA

LIBER I.

Thespia, iam nimium lenta cessamus in umbra,
Segnities et rebus obest, quas forte paratas,
Caetera, dum sequimur dubia sub luce reliqui,
Ne pereant, accurre, precor, pulcherrima cernens
Nomina et acta virum, superest tollendus in altum
Heros certe alius, quando uni gloria genti
Haec datur, ex omni numero fortissimus idem,
In quo par animi virtus, par dextra premendis
Hostibus et pulchri pro libertate labores,
Pulchra etiam soboles et Deiopeia coniunx, 10
Maiestas regalis item, facundia raro
Cognita, praecipue Martis quae pollet in armis,
Hunc mihi da proprium, felix regina, laborem.

Felsina dissidiis duros illapsa tumultus
Perdiderat ius omne sui durosque tyrannos 15
Passa graves illo demum pro crimine poenas,
Maiores etiam noxa miseranda luebat.

Iam primos procerum patria de sede revulsos
Arcibus et vinclis gravibus longeque diremptos,
Ut sors quenque tulit, custodia foeda premebat 20
Ac superest urbi derisum et debile vulgus,
Nec modus aut requies damnis trucibusque rapinis:
Infandus miles impacatusque satelles
Vernaque sacrilegus terroribus omnia complent.
[Barbarus et dominus, tot qui probra multa videret.] 25

Ergo omnis furiis ardere Bononia iustis
Coeparat et tantum dux rebus abesse noquandis,
Qui populi primos et vincla et carcerem haberet.
Omnibus illachrymant unum praeque omnibus unum
Hannibalem repetunt, is prima et maxima cura est. 30
Is placet ante alios, nec adest, qui reddere possit,

Aut libertati pignus tam dulce referre;
 Hac in causa igitur curae et consulta laborant.
 Nec tamen est quisquam, cuius prudentia finem
 Tangat, et in vacuo defecti extrema fatigant. 35
 Haec populus nondum cernebat, quorsus abirent,
 Quidve mali parerent. At prudentissimus alta
 Mente senex videt auspiciū iactare futurae
 Pestis et aeternae mansura tyrannidis esse
 Semina servitii turpis nunquamque carendi. 40
 Ergo duos ad se natorum appellat et illos
 Concitat:

Ite, boni, socios agitate per urbem,
 Colligite arma domi tumidisque obstate tyrannis.
 Parcite ne impensis. Domus haec ventura receptet
 Auxilia; Hannibalis domus altera crescat in armis 45
 Ulcisci populum libertatemque tueri:
 Conspirent ambae, pateant ultoribus ambae.
 Tuque prior comites hic observato, Iohanne,
 Dissimulaque foris et publica iura tuere.
 Tuque minor laesas serva, Galeatius, aedes 50
 Bentevoli Hannibalis circumspectusque resiste.
 Ambo tamen cauti nunquam sine viribus urbem
 Lustrate et, neu quis metus ingruat, usque caveat;
 Caetera perque dies, quibus est opus, ipse cavebo.

Dixerat, at iuvenes turbati pectora rebus
 Ante male inceptis patri accessere libenter.
 Contraxere viros et iam data fama per urbem,
 Nunc alios aliosque vocant, concresecit in horas
 Ardor et incipiunt maioribus esse timendi.
 Sumptibus et magnis agitur; Lodovicus in illis 60
 Prodigus et nullos refugit sentire labores:
 Tantus amor laudum libertatisque fruendae.

Res audita vago iam iam rumore per urbem
 Pectora sollicitat non tantum plebis; at ipsos
 Exacuit patres et eunt in publica cuncti, 65
 Qui de more patrum soliti in decreta senatus.
 Curia plena graves omni de parte querelas
 Audit et a cunctis una haec sententia firma est:
 Mitti oratores, populi qui vota recludent
 Ante duci Ligurum, qui maximus ordine primo 70
 Consulere ac tantum possit relevare dolorem.
 Dicta placent lectique viri mittuntur et omnis
 Decidit in vacuum cassus labor, inde reversi
 Perdita legati referunt conamina nullis
 Exaudita modis: quod in id Picininus haberet
 Arbitrium iusque omne suum pater, inde petendum
 Praesidium, non esse alium, qui talia curet.

Huc igitur rursus legatio missa, nec ultra
 Profectum redeunt vacui frustraue laborem
 Experti referunt patribus nihil omnibus actum, 80
 Impensis curisque operum diversa petenda
 Consilia. His nugis hibernum tempus abactum.

Vere novo tellus affert dum laeta colores,
 Itur in hoc studium repetitaue coepta laborum,
 Sed praeclusa via est, nec quenquam fata secundant 85
 Et iacet infectis miseranda Bononia rebus,
 Necdum bella fremunt, nec pacem offensa reducit.
 At pater omnipotens sortem miseratus amaram
 Intonuit mentemque dedit, secreta retextit
 Consilia et faciles cursus reditumque salutis. 90

Iannesius Rocha vir fortis et agnitus ultro
 Parmenses ac finitimos elapsus in agros
 Bononiam repetens fuit obuius, utque salutem
 Dixerat, alloquitur fidamque ita fatur ad aurem:

Marescotte, tibi iussus post verba salutis 95
 Affero Bentevoli Hannibalis simul oscula — iungit
 Oscula — seque tuae commendat et omnia curae.
 Ille valet, modo sit liber, sed nulla videtur
 Aut perdifficilis ratio, nam turris ad auras
 Ardua consurgit valido circumdata muro. 100
 Hac inclusus agit vinclis oneratus et acri
 Custodum cura iuvenum, vix tecta volanti
 Pervia — seque tibi rebus commendat in artis:
 Tecum priscus amor, tecum puerilibus annis
 Eductus, tecum vixit bellicue domique, 105
 Tecum iuncta fides, patribus quoque iuncta fuerunt
 Pignora, non alium te praeter sentit amicum:
 Si qua via est, si quid misereri in tempore possis. —
 Haec semel, haec iterum certis repetita diebus
 Et consulta super multo studio atque labore 110
 Disquisita, placet superum temptare favorem,
 Si qua velint iustis accedere numina votis,
 Non opera cessante quidem, commercia rerum
 Nulla patent, omnis suspecta est gratia, nulli
 Accessus, ni qui per vimque dolumque parati, 115
 Vel per utrunque simul, vis fraudem adiuncta coronat.
 Artibus utendum geminis. — Si pergis amicum
 Solvere, quaerendi comites ad coepta probati.
 Fas utrunque putent.

Simul haec effatus abibat
 Curam de sociis agitans virtute legendis; 120
 Quae facienda forent, secum providerat ipse.

Ergo sibi ante alios Rocham legit ille Ianesum,
 Hic fuit in cunctis semper vir fortis et audens,

Constans et fidus nec non iocundus amicis.
 Quo sine nil altum felicius inchoat heros 125
 Principio facilem, — bis enim via facta, — secundo
 Difficilem, sine quo peragi feliciter ausum
 Illustre haudquaquam poterat, nempe ille locorum
 Consciis et lingua verbis insueverat illis.
 Irritus arguerat labor et via plena periculi 130
 Incertaeque viçes traiectaque flumina nando.
 Tydeus est alius ferus et vir magnus in omnem
 Eventum isque manu praestans et mente sagaci
 Acer et Herculeos referens in corpore nodos.
 Ille sed ad tantas ardentem impellere laudes 135
 Cum semel incaluit, fratrem non cessat, at illum
 Laudat et admonitu firmat Galeatius ingens:
 Hanc ardentem animam, hunc tu, germane, vigorem
 Ad casus extende pios, mihi caetera curae
 Esse puta. Veniet melior fortuna favorque 140
 Caelitum et ad nostros mitescent sidera motus.
 Quartus ab his Michalus, proles invicta Marini,
 Vir lingua dextraque bonus, parere paratus
 Dissimilisque viro, nec dissentaneus illi,
 Quocum convixit iunctus bellicae domique, 145
 Attamen egregius quavis ratione viaque,
 Seu te castra iuvant, seu civica facta; nec unquam
 Scipiadae magno fuit ille fidelior usu
 Laelius, Augustove Agrippa sequentior altis
 In rebus, felix concordia semper utrique. 150
 Ultimus est Iacobus Malavolta acerrimus idem,
 Tot fortes animas, tot fortia corpora casus
 Misit in ancipites invicti fervor amoris
 Festinansque animus succurrere rebus amici.
 — Iam neque Damonis Phitiaeque fidelius arsit 155
 Pectus et Aegidae non altera Pirithoique
 Maior amicitiae fama est, nec magnus Achilles
 Ille Menoetiaden ardentius ultor amavit,
 Quam sese gemini semper coluere sodales,
 Et magnum Pylades adeo non arsit Orestem. 160
 Tempus erat, quo longa dies exactaque summo
 Aethere vicini redit ad confinia cancri.
 Mille quadringenti, decies quater addimus annum
 Tresque super, dulcis Christi numerantur ab ortu, 165
 Tertia lux iuvenum mensis de nomine dicti.
 Tunc movere vias iuvenes, fortissima corda
 Quinque, sed hoc numero Thebanas condidit arces
 Cadmus et in quinas divisimus aera zonas.
 Consciis iis aderat Blancellae gloria gentis,
 Karolus et socios monitis acuebat amicis. 170

Quinque igitur felix numerus simul urbe profecti
 Varanum versus mediumque per agmen ituri.
 Aemulus ante diem quod fessae admoverat urbi
 Infesus populo Vermes Aluisius, arva
 Ultro aliena legunt et eundi fingere causas
 Haud metuunt. Iidem Mutinensia rura secuti
 Region et Parmam versus vestigia tendunt
 Compositi rerumque instructi ad coepta faventum.

175

Et iam sole rubro iam vespere tecta subibant,
 Spelimberte, tua et magno regnata Gherardo
 Rangoni generis primo et genitoris amico,
 Marescotte, tui, qui te sociosque receptos
 Lustrat et antiquum narrat genitoris amorem.
 Quaerit, utrum valeat legum iurisque professor
 Prona aetate senex Lodovicus ad omnia magnus
 Utque ferat senium, priscum in se ut servet amorem.

180

185

Quippe valet meminitque tui et te tollit in astra
 Laudibus atque tibi commendat seque suosque:
 Filius haec contra reddit Galeatius illi.

Interea variis dum tempus ducitur illic
 Alloquiis, famuli mensas et pocula ponunt;
 Cenatur laetisque epulas sermonibus implent.
 Hinc ubi plena fames et amor sedatus edendi
 Surgitur, inde senex solum Galeation ultro
 Compellat, quatenam vocet hos via, quidve paretur,
 Quae fortuna premat, opus an sit vindice; pandat
 Consilium expectetque suum per cuncta favorem,
 Quo fuit officio in patrem, se hoc esse futurum
 In sobolem, modo ne desit fiducia coeptis.

190

195

Huic aperit secreta sui Galeatius acer
 Propositi et patriae miseram super omnia sortem,
 Quam se posse putet sola hac ratione levare.
 Obstupet auditu senior miratus in illo
 Robur et arguti tantum regnare vigoris,
 Ut neque discrimen, neque sentiat ille laborem;
 Ac reprimat iuvenem bonus et deterret euntem.

200

205

Marescottus ad haec: Fateor, ipse improbus ardor
 Me tenet et non est vitae mihi amabilis usus,
 Ni video Hannibalem, sed libertate potitum.
 Hac ego mente, pater, sum fixus, omite monere;
 Aut ego te eripiam, aut tecum, vir magne, peribo.

210

Haec ubi nequiquam senior bis terque rogatum
 Contra stare videt, monitis neque cedere iustis:
 I modo faustus, ait, verum sapientius esset
 Vertere consilium, nec te obiectare periclis.
 I modo, fors melior, deus et fortuna secundet
 Et dabit exemplum tua vis praestantis amici.

215

Haec ubi dicta, toros adeunt ad dona quietis.

Thessalus occiduas ibat iam pronus in undas
Semifer et roseo Castor progressus ab ortu 220
Partibus extremis altum Titana ferebat.
Cum lux orta viris reddens opera atque labores
Instabat, rapiunt sese dictaque salute
Ultro iter inceptum peragunt, nec recta secuti
Divisi medios resecant transversa per agros
Omnia mentiti, si quis foret obvius illis.
Perque diem fecere viam. Iam vespere prono
Cernunt Parmenses densa inter nubila muros.
Ante urbem subeunt meritoria tecta, recepti
Suspirant sortemque suam fraudemque queruntur 230
Alterius vitamque volunt pro fraude rependi;
Illa nocte tamen post iurgia facta quieti.

Et iam clara dies roseis invecta quadrigis
Prae se signa dabat noctis pereuntibus astris.
Exurgunt celeres et festinata vorabant 235
Arva, volant hilares hesternaque iurgia rident.
Necdum Phoebus erat binas elatus in horas,
Moenia Guelpha tenent et diversoria Moechae
Nota, ubi se primum recreant operisque futuri
Consilia et totas expendunt criminis artes 240
Virtutisque suae stimulos sibi quisque resumit
Inque diem provisa ceres. Mox inde lupi ceu
Quinque abeunt nullos calles aut signa secuti
In montes versi Ligurum tantummodo, dentes
Infrendunt irasque acuunt et raro viarum 245
Aut consulta petunt, aut se prudentibus ullis
Ostendunt illos et per mendacia fallunt,
Quae facturi essent, ne quis praenoscere posset.
Flumina iam rivosque secant, tesqua avia, colles
Convallesque cavas et confraga saxa nemusque. 250
Progressi montes altos frondentibus unum
Vestitum silvis longe insedere petunt,
Unde arcem procul aspiciant omnemque secuti
Prospiciant habitumque loci et sua commoda librent.

Phoebus in occiduas nondum descenderat undas
Integraque hora super spatium facit, illa videndi
Copia facta viris, qua se, qua caetera pendent,
Posteritati etiam miranda exempla pararent.
Ut satis est visum formam spectasse situmque,
Exin se ad socios vertit Galeatius audens 260
Et fessos trepidosque animi sic voce refecit:

O comites rerum decus et tutela mearum,
O populi fortuna mei, quos alta creavit
Bononia ipsa sibi, dulcesve accepit alumnos

Vindicibusque animis modo clara exempla duros. 265
 Tum studio ingenti regum male facta novorum
 Fortibus auspiciis foedam sarcire ruinam
 Et cohibere dati et patriam illustrare potentem.
 Ingentes praestare animos, haec turris, in astra
 Quae subit, haec nobis astu vincenda; revulsus 270
 Hannibal ut possit patriam servare cadentem
 Funditus atque truces avertere ab urbe tyrannos
 Et tribuat nostro pulcherrima dona labori.
 Quanquam, si qua fides, nil me sperata moverent
 Munera, priscus honos, amor a puerilibus annis
 Insitus et virtus hominis movet. Ille deorum
 Atque hominum pater astra tenens cum fraude ligatus
 Ingemeret centum patiens in terga catenas.
 Mox ope Nereidum, Briarei quoque viribus usus
 Liber et in solium cum maiestate relatus 280
 Non Thetidi quicquam, tanti quae muneris auctor
 Prima foret, non Briareo quodcunque liberet,
 Ni levis ille tamen caeli aspirasset in astra,
 Abnueret: sic iste dabit dona optima nobis
 Libertate potens solioque impostus avorum. 285
 Fama etiam nunquam moritura omnemque per orbem
 Propaganda vagis rumoribus aethera pulsans
 Nos canet et nullo tenebris damnabimur aevo.
 Nos patriae columen tam forti ex arce receptum
 Contra regis opes, ipsum qui tangit Olympum, 290
 Territat Italiam, Helvetios Alpemque fatigat,
 Contra etiam Martis Picinini immania facta
 Ingentesque animos tot et arma, in tuta redactum,
 Fortiter explicitum vinclis et carcere duro
 Servamus vitae meritaque in sede locamus. 295
 Haec vos fama quidem, si non et maxima dona,
 Praemia tantorum sequerentur digna laborum.
 Satque superque foret, sed et haec sperata sequentur,
 Ad quae vos primi per summa pericula, primus
 Ipse ero et in cunctos ibo et sine fraude pavores. 300
 Inde secundus erit frater; vos deinde secuti
 Ibitis, este tamen capienda ad munera primi.
 Imus in arma truces, nec nos deterreat ausis
 Asperitas operis in caelum elata; paravi
 Aereos nanque ipse gradus, quibus alta capessam. 305
 Me spectate prius subeuntem et celsa tenentem,
 Caesareo exemplo me primum in bella ruentem.
 Vos mihi sat fuerit non esse ad fortia molles
 Hic, ubi vincendum est, aut clara morte cadendum.
 Proinde animum et vires ad fortia facta parate. 310
 Nocte opus aggredimur: caetae nox fraudis amica est.

E silva egredimur tacitorum more luporum.
 Id modo, quod petimus, nox atque silentia firmant;
 Diique manusque iuvent, iuvet experientia rerum.

Dixerat et comites ultro ad certamina prompti 315
 Festinant spondentque fidem et praecepta capessunt.
 Ergo ubi ferventes animo conspexit amicos
 Atque ducis monitis ultro parere paratos,
 Laetus in haec iterum et laudabilis ora resolvit
 Verba: 320

Deum, comites, placatum rebus agendis
 Conciliemus, ut haec victoria laetior extet
 Utque sit eventus facilis auctore benigno.
 Spondemus Iacobo sumptuque et nomine nostro
 Mittere quamprimum, qui templum aramque potentis 325
 Invisat, qui facta retro testata reportet.
 Praetera quantum fas sit, sine sanguine fuso,
 Dum sit nostra salus tuta, et sine caede cruenta
 Ducere. Consensum, socii, praestate voventes.

Annuerant. Iam noctis iter spatiumque subibat
 Dimidia, cum turba suos e monte supino 330
 Circumspecta movet gressus et in aethera mentes
 Erigit et patriae poscit per vota salutem
 Seque suosque deis commendat et exit in arva.
 Iuppiter obscura miratus ab aethere nube
 Velavitque viros somnosque aspersit in arcem 335
 Imbre fovens. Quini veniunt ad ovilia pardi.
 Ventum erat ad muros, nec, qua de parte subirent,
 Unde aditum facerent, erat explorata facultas.
 Rimantur capiuntque viam; fortuna iocatur
 Eluditque viros paulum, mox reddita supplet. 340
 Tollere conantur astu alta in moenia restes
 Nodosas gradibus consertis, ardua sursum
 It moles, at saxa frequens ruscique soluti
 Lorica — nanque hanc custos induxerat illam
 Parieti — cecidere super, minuere laborem 345
 Saepius, artifices et tardavere furentes.
 Tandem adducta subit supremos machina muros
 Et stetit in solido pinnis inclusa duabus
 Et brevis adiunctis gradibus fulcitur et haeret
 Fixa solo, superest evadere in aera sursum, 350
 Quando iter aereum sublimi ex aere pendet.
 Hic ductor risuque gravi vultuque benigno
 Respicit et comites cernens formidine mersos:

Este boni, meus iste labor. Ego moenia primus
 Alta peto, vos dehinc succedite; Caesar, adesto, 355
 Qui non ire alios, sed primus in arma ruebas.

Sic fatus repetit scalas et in ardua primus

Evadit comitesque vocat, qua voce liceret.
 Tydeus emeruit partes in honore secundas.
 Tertius inde subit Iannesius, ordine quartus 360
 Michalus, extremum peragit Malavolta laborem,
 Illaesi salvique omnes, si lumine ductor
 Incusso paulum non offendisset in uno;
 Laesio parva tamen, mentis quam leverat ardor.
 Noctis erat pars quarta super; iam Lucifer altum 365
 Aera carpebat aliis pavitantibus astris.
 Et iam prima rubet Thaumantias, inde serenum
 Candorem induitur, flava mox rancida palla.
 Ergo prius gradibus scalarum a fronte revulsis,
 Ne quis forte fugae confusus verteret hosti 370
 Terga, sed in pugna caderet vel vinceret hostem,
 Insidiis latebrosa petunt loca, luce reducta
 Ne pateant fraudes et cautior haesitet hostis
 Auxiliumque vocet populi et res tota fatiscat
 Lustrantes. — Sic fata ferunt: patuere relictæ
 Neglectæque fores decumanaque ianua turris
 Aequa solo tantum vecti sine clave relictæ.
 Hanc ita compertam reserat Galeatius intro
 Progressus recipitque suos parvaque sub umbra
 Stipati eventum, quem det fortuna, morantur. 380
 Aureus exierat iam sol a montibus altis
 Fixerat et radios per nota foramina turris,
 Parva tamen. Trepidi expectant optata per horas
 Et pavitant audentque sibi, spes aequa pavorque.
 Iam vigil arcitenens infuso sole vocabat 385
 Moris ad officium clausa de parte ministros:
 Ad vocem subito famuli responsa remittunt.
 Unus et e numero non felix intima tantum
 Velamenta ferens Marchesius officio par
 Fornice de supero descenderat ostia versus 390
 Approperans et vecte fores solvisse paratus.
 Nam sic moris erat: duplicata quod ostia fortis
 Ille tenet thalamus, ne quis conclusus abire
 Vi vel fraude queat. Intra hæc extrinsecus illa
 Includunt panduntque datae hæc ad munera dextrae. 395
 Et tunc arcitenens thalamo et captivus in illo
 Hannibal inclusus habitant. Marchesius ergo
 Veste levis veniens intrat, quem faucibus illic
 Compræsum ad sese traxit Galeatius ingens
 Impressitque solo. Qualis Achelous in angue 400
 Non tulit Herculeos urgenti forcipe nodos:
 Talis et ille miser animæ suprema negatæ
 Signa dabat, miseratus ibi sed vincla remisit
 Calvus et hunc Michalo servandum tradidit illa

Lege data, ut peragat, quoniam nequit ille silere. 405
 Perditus ille quidem tanti male muneris usus
 Clamitat, ex alto comites clamore citati
 Fervebant. Iam iamque aderant. Volat altus in arcem
 Tydeus, ingressu tamen is prohibetur et obstat
 Limina prima tenens Antonius et simul alter 410
 Additus: auxilio fratri Galeatius ibat.
 Clamitat ille tamen, Michalus cui concitus ira
 Abstulit ense caput madefactaque sanguine multo
 Terra est et terrae porrectum informe cadaver
 Et caput inde procul gladio simul usque rotatum. 415
 Ille autem egressus subit assequiturque priorem
 Tydea, cui contra fidens Antonius obstat
 Non passurus eum reseratam irrumpere turrem.
 Ille per angustam traiecta cuspide rimam
 Reppulit instantem postemque intravit apertum. 420
 Et iam ductor adest fratremque accendit et illi
 Vulgus et ignavos commendat fune ligandos.
 Ipse per aereas subeuntem Antonion auras
 Insequitur gradibus. Prior is tamen incitus anteit
 Ausurus facinus, si non fortuna resistat. 425
 Et iam summa tenet. Galeatius instat et urget.
 Machina fulminea est illi correpta suoque
 Stipite commissa et quam mittere tendit in hostem.
 Ille super solo nociturus pondere. At hic iam
 Passibus extensis graduum suprema tenebat 430
 Aspectuque gravi minitantem et vulnere parvo
 Reppulit et domitum fundum devolvit in imum.
 Tydeus interea captis, ut iussa fuissent,
 Vincula nexuerat pariterque Antonius illic
 Nectitur et patiens. Iannesius et Iacobus iam 435
 Auxilio affuerant. Michalus praeclusa tenebat
 Limina femineis possessa ac plena querelis.
 His ita compositis descenditur atque trahuntur
 Captivi. Stupuere viri, cum sanguine tanto
 Marchesium multa videant tellure iacentem 440
 Et caput abscisum conspersaque sanguinis unda
 Atria. Dant lachrymas miseri et sua corda fatigant.
 Captivi numero septem post terga ligati
 Sistuntur flentes, ubi pridem nocte sub illa
 Ductor et adiuncti latuissent tempore parvo. 445
 Mox ductor, cuius opera et virtute peractum
 Grande opus, ad reliquum se comparat; omnibus illis
 Dimissis animosus abit. Quod defuit unum
 Perficere et cuius causa suscepit agendum.
 Ergo iterum in latebras redit et concussa tumultu 450
 Pectora sollicitat praefecti subdolus arcis.

Antonii effingit vocem et miserabile frendens
 Hortatur non deesse suis et callidus urget,
 Exagitat ferrum vectis postemque fatigat.
 Credulus ille ratus nihil hic sibi fraudis obesse 455
 Liberat interius commissa repagula. Tum se
 Impete magnanimo Galeatius intulit ultro
 Turbatumque premit victumque in terga supinat:
 Mancipiumque tuum iubet Hannibal esse, sed olim
 Territus huic tanto nescis accedere dono, 460
 Qui modo captivus spe nulla obsessus agebas:
 Tam cito fortunam redeuntem agnoscere nescis,
 Quisve tibi affuerit, vel qua ratione requiris
 Et metuis falli et socialia nomina poscis 465
 Dictaque non sentis, veluti qui nocte sopora
 Respuit invisi metuenda pericula somni.
 — Taliter Aegides infernis liber ab oris
 Herculis auxilio, postquam supera arva tenebat,
 Vix sibi, vix aliis credens mussabat ubique.
 Ductor ut aspexit devictam protinus arcem 470
 Et salvum Hannibalem quanquam torpore ligatum,
 Ipse manu thalamo praefectum traxit ab illo.
 Quem nondum intrarat thalamum, cui Michalus obstat,
 Nec patitur querulas ex quo prodire puellas.
 Egressis praesto est populus post terga ligatus 475
 Et comites alii servantes cuncta, sed illos
 Ire simul iubet in thalamum Galeatius ipse.
 Inde iacet truncus Marchesius, alta cruore
 Regia tincta, caput longe a cervice recisum:
 Omnia terribili casu aspicienda. Per illa 480
 Est tamen ad thalamum via, quam facit ipse patentem
 Michalus ad iussum. Illae ut videre patronum
 Atque patrem salvum, lachrymis absistere iussae.
 Insuper et miseris ululatibus abstinet omnis 485
 Turba. Sed interea rebus de parte quietis
 Feminus populus thalamo transmissus eidem
 Atque ita victores et victi protinus unum
 Obtinere locum. His ergo ad vota peractis
 Expediunt, quibus Hannibalem deponere cogant
 Ferramenta pedum. Capti iacuere silentes. 490
 Haec ubi deposuit, veluti iocunda redissent
 Omnia, deponunt questus epulasque parari
 Dant operam casuque aderat bona copia rerum
 Et Cereris Bacchique liquor non vilis in arce.
 Et iam Phoebus equis celsum pervectus in axem 495
 Umbrarum vires minuit. Iam pastor in antro
 Compuleratque greges et se statuitque sub umbra.
 Dux ibi, quod longos passi veniendo labores

Et nox illa suam requiem non senserat ullam,
 Post epulas largas et amici munera Bacchi 500
 Pauxillum vigilare monet, cui palma decusque
 Quaesitum et tantos cui donavere labores,
 Magnanimum Hannibalem, reliqui post prandia laeta
 Divisis vicibus molli dant corpora somno
 Fessa brevi, ut possint alios perferre labores. 505
 Lux extrema cadit thalamoque est omnis in uno
 Mixta manus, maior sed adest iam cura sequentis
 Opportuna operis linquendi protinus arcem
 Et recta in patriam cautum sub tempus eundi,
 Ne quid in occurso veniens hostile moretur 510
 Fortunam et redeant victores laude canora.
 Haec propter consulta parant; Galeatius autem
 Antonium secum rapit et fastigia turris
 Alta petit. De more iubet pulsare sonoram
 Campanam, ut mos est in honorem virginis almae. 515
 Deinde ciere viros vigiles, quis credita vulgi
 Cura sit illorum et custodia certa locorum,
 Ne quid ab assueto mutetur et ordine quadrent
 Omnia. Quo facto descendunt. Callidus autem
 Disturbatque gradus aditumque abrumpit eundi 520
 Victor et ante habitum de summa turre recisum
 Abiecitque procul marcum, quo tacta sonabat
 Aenea, ne posset votis agitata nocere.
 Haec ubi prospexit, remeat securus in ima
 Hortaturque suos, iubet et cuncta ante parari
 Ad reditum. Tamen ante cibo potuque refecti
 Erumpunt secumque trahunt ex arce relictæ
 Tris, quibus obsidibus fuga tuta patensque daretur.
 Neve fides ludat, secum traxere ligatos
 Praefectum Antonium simul et traxere nepotem 530
 Praefecti atque tribus victor confisus abibat.
 Montanum pariter, quo venerat ante, recedens
 Est ingressus iter properans et nocte sub illa
 Pervenit ad Tarum fluvium studiosior isque
 Turbidus ex alto collectis defluit undis. 535
 Heu quianam tantas tecum rapis, improbe, vires,
 Corniger, et nostros frangis violente recursus?
 Haec ductor metuens alios committere ripae
 Inquit, at ipse ferox incerta pericula temptans
 Rumpit et in medias, qua sit violentior amnis, 540
 Se demittit aquas diversam attingere ripam
 Certus et ad socios victor redit; inde relictos
 Ad ripam levioris aquae iussosque venire
 Ducit et in fluvio iubet hasta ex ordine iunctos
 Traicere et certis contemnere passibus undas 545

Dimidio plus ventre graves, placidas tamen, et sic
 Incolumes cuncti ripam tenuere petitam.
 Necdum clara dies ulla de parte micabat,
 Ante tamen fluvio quam se committeret, ausus
 Solvere captivos, secum quos ante trahebat 550
 Et sese illorum fidei committere tantum.

Ergo ubi transmisso recreati a flumine primum
 Constiterant, iterum gressi per opaca viarum
 Monticulum adveniunt, id nomen et oppida signat.
 Illic et fessi et ieiunia longa sitimque
 Non aequis animis alto iam sole ferentes
 Dant se epulis somnoque brevi, quibus inde refecti
 Ulterius paulo progressi optata merentur:
 Quem tulerant humeris, hunc ut iumenta referrent 560
 Hannibalem. Dehinc ergo viam maiore volatu
 Conficiunt ex mente tamen montana secuti,
 Ne quis in adversum veniens aut visa reportet,
 Aut terat alloquio tempus minuatque favorem.

Sed fortuna comes votis ac rebus honestis
 Affuit et nulla turbavit parte vigorem; 565
 Plus quoque, quam satis est, cunctis felicibus actis
 Aspirat, necdum Phoebo inclinante sub undas,
 Quanquam pronus erat, Spelimbertana tenebant
 Arva et magnanimi Gherardi affabile regnum
 Hospitiumque pium veri et florentis amici. 570
 Cognita res avidum gratandi, audita videndi
 Ardentemque viros ad se et sua tecta trahendi
 Discendique viam, qua libertatis in usum
 Hannibal exierat, vocat alta e sede Gherardum.
 Ornatusque senex ultro venit obvius illis 575
 Maiestate quidem spectabilis atque ita longe
 Incipit:

O populi spes et fortuna potentis,
 O nimium dilecte tuis, cui tantus honestae
 Fructus amicitiae, tanti patuere favores. 580
 Sis felix dextrumque feras his montibus omen,
 Urbi etiam patriae, quod vult oppressa levamen.
 Inde tibi et generi carisque clientibus almae
 Libertatis opes et opem vitamque quietam,
 Officium et mores exclusis arce tyrannis. 585
 At modo, quod fessi longarum mole viarum
 Et rerum vacui nocturna existis in arva
 Et deserta vagi legitis fervente sereno
 Ad mediumque diem quoniam sol igneus urit
 Et minimum somni properantibus et metus et nox 590
 Indulsero, meis lenite penatibus omnes
 Difficilisque animi noctisque viaeque labores.

Est mea plena domus vobis aliisque benigna
 Hospitibus dignis omni formidine tuta
 Quaeque prius vestrae novit pia coepta salutis.
 Et mirata libens Galeation accipit olim 595
 Patre mihi carum nunc et virtute probatum.
 Ite palam, iuvenes, ultro et secura subite
 Moenia, tam vobis, quam mi per cuncta parata.
 Dixerat, ast illi paulum tellure moratus
 Hannibal haud humilis ait et responsa remittit: 600
 O facunde senex, o saeculi gloria nostri
 Orbis et huius honos et nobilitatis avitae,
 Vera refers animis et viribus usus amicis.
 Evasi miseras obscuri carceris umbras,
 Quas non culpa dabat, sed sola iniuria, sola 605
 Virtus, quae damnis alienis abstinet, at me
 Non idcirco piget non esse in parte nefanda
 Et placet, in vestro quod sim susceptus amore.
 Nec renuo hospitium, recta in tua tecta silente
 Te venturus eram, sed nunc fidentius ibo. 610
 Pignus amicitiae da nunc atque accipe dextram.
 Nec me poeniteat numero accepisse meorum,
 Nec te poeniteat numero accepisse tuorum.
 Est mihi amicitiae felix proventus, ut istos
 Ipse vides, quinque hos, fortissima corda, leones. 615
 Non fluvios, non arma timent, non turribus altis
 Terrentur, non, si tremitu pater omnia turbet,
 Non, si etiam redeat mundo Tirynthius ille.
 Et modo — vidisses utinam! — post moenia capta
 Tot lectos iuventum, firmissima corpora, vinclis 620
 Pauci etiam numero tanto in terrore ligarunt.
 Et res nota dehinc erit admiranda futuris,
 Dum legitur, quis enim paucos cepisse putabit
 Arcem et custodes et me solvisse catenis
 Et reduces patriam posthac purgasse tyrannis? 625
 Dux etiam Insubrum, si caetera facta moleste
 Noverit, hoc unum fuerit laudare coactus
 Optabitque sibi tales contingere amicos.
 Non et erit compos, quanquam tot regna, tot urbes
 Impleat et solus latum quoque territet orbem. 630
 His te, magne, viris, pater, annumerabimus, etsi,
 Quando fata vocant, aderunt, veniemus et ipsi.
 Nec te nostra fides frustrabitur: ardua iuro
 Sidera et intactae pignus venerabile matris.
 Dehinc simul ad muros subeunt altosque penates. 635
 Et iam turba frequens aderat mensaeque paratae,
 Dant manibus lymphas et caetera quaeque ministri
 Expediunt epulasque foci misere paratas.

Considunt refoventque viri sua corpora et omnem,
 Quae fuerat iactura viae, solantur et inde 640
 Plurima iocundo memorant sermone; sed illis
 Dat finem provisa quies: nanque antea nulla
 Sat secura fuit tot iam quaesita diebus.

Vesper erat Phoebusque cadens extenderat umbras.
 Surgitur et veniunt iterum turba omnis in unum 645
 Consiliumque viae capiunt, post illa iubentur
 Ducere equos famuli, quos et prius ille Ioannes
 Tris dederat, qui Malvetia de gente creatus
 Region incoleret, quibus et tres ipse Gherardus
 Addidit, ut numerus foret his abeuntibus aequus. 650
 Sic omnes equites redeunt, victoria donum
 Hoc facit et Michalum praemittunt, ordine cuncta
 Qui referat, quae facta forent, quae deinde parentur,
 Quidve opus est factò. Hannibalis secum ille catenam
 Ereptam pedibus tulit in solatia gentis; 655
 Post oblata fuit divae genitricis ad aram.

Ille volans cuncta haec effecerat. Interea, qui
 Restiterant, properis maturant passibus, omnem
 Consilio causam demensi et flumine Rheno
 Traiecto inveniunt aliquos de partibus, ultro 660
 Qui gavisuri veniebant. Hisque remissis
 Ordine compreso iam iam venientibus astris
 Ad certum coiere locum sub montē. Nec ulla
 Est mora. Conveniunt illuc, qui semper amorem
 Testati doluere diu fera facta tyranni 665
 Ultioresque volunt fieri. Prior ergo Ioannes
 Marescottus eo multis comitantibus ibat
 Et muro e summo socios fratremque manebat.
 His Silvester atrox, Mazan agnomine dicunt,
 Venerat, ipse locum prior hunc signarat amicis 670
 Multaque collata est septem super alta trahendis
 Machina, nec desunt fortes ad coepta lacerti.

Tertia iam noctis ferme decurrerat hora,
 Iunius ad noctem quintam progressus agebat,
 Cum laeti proceres restes trodiasque secuti 675
 Conscendere super muros, ubi ab omine nomen
 Impositum, risu Malcantona dicere vulgus,
 Quod canat et saevos male turbet ab urbe tyrannos.

Illic et Iacobus, cui dat Capraria nomen,
 Vir magnus Calvae gentis et amabilis hospes. 680
 Omnis et ad caelum voces et brachia tollens
 Turba dabat grates superis, quod in urbe reductus
 Hannibal atque suo populo expectatus adesset
 Bentevolae lux magna domus populique gravati
 Ultor et offensae veteris damnique levator. 685

Marescotta domus prima est intrata reducto
Hannibali. Auspiciū primum iis ex aedibus ortum.
Quippe quadringentos intranti corpora ferro
Armata et quaevis animosam ad coepta cohortem
Explicat et mediis illi servantur in hortis.

690

Intrat Avizanus mox Melchior utilis armis
Et clari generis, primum gratatus et inde
Collachrymans comitem sese promittit in omnes
Eventus, capere arma iubet, non deesse favori.
Commemorat, quot sunt ad fortia facta parati,
Hos etiam, quos ante malos adversa teneret
Factio, nanque omnes pariter sibi fecerat hostes
Bononiae cives immanis vita tyranni.

695

Interea quartam nox praecipitaverat horam.
Ergo ubi compositis in noctem rebus agendis
Egregiam iuvenum partem sibi sumit et ipsum,
Qui tantum numerum collegerat, ille Ioannem.
Melchior huic etiam comes est et nocte sopora
Proripit ad Pepulos; — Romeum sopor altus habebat.
Pulsatae sonuere fores; intratur, ad ipsum
Contendunt thalamum, tanta est fiducia cari
Sanguinis et secum Hannibalem trahit atque petenti,
Quaenam causa illuc media sub nocte tulisset
Melchior, in cuius tunc nomine tecta patebant:
Ecce tibi Hannibalem duco, ut solatia primus
Accipias. — Romeus verba admiratus ad illum
Respicit et surgens laetatur et aspicit; orat,
Ut superi consulta boni et pia coepta secundent.

700

705

710

Post haec sepositis aliis non multa locuti
Concipiunt animo, quis tunc foret usus; et ipse
Rem sibi concessam Romeus partemque laborum
Excipit, ille alios pergit concire fideles,
Totus ut ordo simul tanta consurgeret arte.
Ne quid obesse viris aut vis humana valeret,
Aut aliquid praeter divini numinis iram.

715

720

Ille et Malvetios et in illa gente fideles
Excitat atque iubet fidos concire clientes,
Nec vult ante diem tenebris committere pugnam.
Hannibal ista parat; verum Galeatius ardens
Expectare diem non vult: secum ipse furentes
Bellaque gliscentes socios rapit ordine certo;
Dat cuneos ponitque duces; dat signa receptus
Incursusque simul; dicit, quo calle ruendum.
Procedunt taciti densique sub arte regentis.
Cum tamen ora fori primi tenuere, furentem
Emittunt fremitum et clamoribus aera rumpunt.
Plena minis resonant convicia dira tyrannis.

725

730

Mors ante ora volat. Neu claustra erumpere possint,
 Obstruiturque aditus et quicquid ubique repertum
 Lignorum fruticumque ferunt. Rapiuntur eodem 735
 Infectae factaeque trabes, stetit assere multo
 Fasciculisque frequens cumulus. Nec templa deorum,
 Nec fora causarum tantis intacta rapinis.

Frivola quid memorem? nam vendicularia late
 Instrumenta prius rapta. Huc arcilia, capsae, 740
 Sedes, scamna, tripes, caveae lintresque Cadurci,
 Cola, canistrorum vis plurima, scirpea, cistae,
 Pendentes mensae et clausis avulsa tabernis
 Atque locis variis erepta sedilia, currus
 Ostiaque et vacuis extorta repagula tectis 745
 Materiaque omni collectus crescit acervus
 Totaque iam latuit congesta ianua mole.
 Celantur postes etiam miseroque tumultu
 Turbante ex omni populo nova monstra ruebant.
 Necdum grande malum, sed nuntia signa futuri 750
 Probra minis, ignominiis convicia iuncta
 Ac inhonesta sonant; et nox extrema cadebat
 Omnis in occasus, roseis Aurora quadrigis
 Incipit et primo veniens festinat ab ortu
 Dissolvens nebulas et fraudem noctis opacae.

Dux igitur cernens tot iam se nocte sub una
 Hostibus obsessum et metuens peiora parari:
 O utinam infelix ad nuntia prima levassem
 E somno miserum caput, arma virosque vocassem
 Et memet et socios servatus in arce tenerem. 760
 O vetule infelix, qui me salvare laborans
 Non exauditus multa sub nocte redisti;
 Poenitet et poenas nunc do praestantis amici
 Maioresque dabo et monitis accedere discam.
 Mole gravi et pavidos regit et confirmat amicos, 765
 Vis humana queat si qua his ob stare periculis.

Iamque illi ex alto glandes et saxa, sagittas
 Contorsere. Vomunt immania tela fenestrae,
 Vulnera missa volant vulgi; qui spectat inermis,
 Maximus afficitur numerus, quod fata petebant 770
 Ac omnes una conclamant voce: Superbos
 Imus et eiicimus praeclara ex urbe tyrannos. —
 Inde domos abeunt laturi cominus arma.

Tum quoque praemissis aliis medio agmine celsus
 Hannibal ingreditur telis armisque coruscus;
 Hunc Romeus Pepulus, hunc Calvus et ille Ioannes,
 Hunc et Malvetii celeres laetique sequuntur.
 Clamorem adiciunt. Ibi funditus omnia verti
 Visa simul tantum, qui duceret, Hannibal, agmen,

Cognitus atque animo pugnant ex arce paventi, 780
 Quoque magis trepident; aequam Galeatius arcem
 Praetorisque locum celer occupat. Inde sagittis,
 Glandibus inde feris pulsatur curia et hostis
 Territus huic tanto nescit par esse labori.
 Curia circumta est omnique a parte laborat 785
 Et tamen ex omni Perusinus parte resistit
 Distribuitque suos vagus et vim viribus arcet,
 Nec tamen a portis erumpere territus audet.
 Populus adversam scribarum intraverat arcem
 Ornatatque suos; neque curia maior ad auras 790
 Hinc quoque conficitur iaculis levibusque sagittis;
 Et minus atque minus iam audent in bella venire.
 Calvus ibi meminit lignorum ad limina molis
 Oppositae — et quartam iam sol ascenderat horam —
 Iannesiumque vocat fidamque ita fatur ad aurem: 795
 Postquam clara tua hic virtus nil proficit, ex quo
 Non opus est gladiis, qua tu virtute superbis
 Ante alios, ipsum qui vincere noris Achillem
 Et Diomedeam superes hoc nomine famam,
 Perditus hic operis tanti vacuusque tacebis? 800
 I modo, care mihi, — sola est victoria — saevos
 Infer et ad clausos ipsis iace postibus ignes,
 Pestis ut ardentes agat et labor ipseque caeli
 Iam nimium fervente die ferus ardor adurat.
 Haec ait. Ille ferox et amator laudis abibat 805
 Et facibus portas impleverat; omnis acervus
 Obdita conglomerat permixta incendia fumo.
 Heu, quid agant miseri? Fumosa incendia surgunt
 Aspectumque negant, nec iam tolerare vaporem
 Ulterius poterant et totus ab urbe ruebat 810
 Hostilis populus acuens clamoribus iras
 Invisique etiam telis scalisque petuntur
 Vectibus et paries multus temptatur acutis
 Et ruit et virtus cecidit superata virorum.
 Multaque deciderant iam corpora et intus et extra; 815
 Non tamen aequalis iactura videtur utrinque,
 Nam populi est ingens numerus sine fine furentis
 Atque alii subeunt, quotiens forte unus ademptus.
 Et Franciscus idem miser ingemit; — Heu mihi demum
 Oceanum patior, ait, in sua regna furentem. — 820
 Irruerat populus furiatus et omnia late
 Complerat. Cecidere animi. Suprema fateri
 Cogitur. Acre malum duplicat. Discrimine tanto
 Victus abijt thalamoque sedet lachrymabilis expes.
 Sors etiam contra molitur dedecus ingens. 825
 Nanque alii fortes et fortia facta secuti

Pugnantes reprimunt, quorum dux vividus esset
 Tydeus; ast alii propere stabula alta nitentesque
 Insectantur equos; Calvus prior ille Ioannes
 Hos agit, ast aliis captivos cura ligandi. 830

Ornamenta ferunt alii, quae multa rapinis
 Collecta et multa ex propriis inducta nitebant.

Interea obscurus miles, vix utilis armis,
 Et qui tesserulas vilis faciebat emendas,
 In thalamum rumpit ducis. Illic pallidus idem 835

Ut victus residebat, humi languentia tela
 Ac animus iacuit; remque omnem ignavus habebat,
 Nec se ad victoris faciem convertere avebat.
 Ille indignatus ibat male sanus in hostem
 Facturus facinus, nisi et alter ibi obviis idem 840
 Consilii melioris eum deterreat ausis.

Servatur pignus pro civibus ante vocatis
 In fraudem variisque locis in carcere clausis,
 Quos nisi restituat, non sit solvendus et ipse.
 Caetera turba locis aliis captiva tenetur 845
 Bononiensis, ubique prior dat iura fuitque
 Multis illa dies clari fecunda vigoris.

Nec facile est cunctas extendere in aethera laudes
 Et me facta vocant alia et pars una tenorem
 Implevit bene gesta suum. Duo nomina primas 850
 Tydeus et frater Calvi meruere coronas.

Tertius Antenor crescens tamen indole magna
 Fratribus assimilis, nec, si via iusta supersit,
 Virtute inferior, tamen invida fata repugnant.

Ignis ab introitu depellitur arcis. Et inde 855
 Sublimes in equis abeunt clari victores.

Hannibalis Laribus trahitur dux victus et illi
 Omnis, quanta fuit, victoria tota refertur;
 Contiguus lateri cuius Galeatius ibat.

LIBER II.

Iam nitidum Hannibalem, iam maiestate reperta
 Victorem trucibus detractis arce tyrannis
 Diximus, infestis etiam bene civibus illum
 Consulere ardentem suadente auctore salutis
 Atque ideo Laribus captum servasse tyrannum,
 Quo pretio redeant salvi in sua tecta retenti
 Veraque libertas et res haec publica demum
 Floreat egregiis aequataque civibus omnes,
 Ut natura monet, praecellat dotibus urbes.

Nunc, dea, si nimium non est, ad proelia campi 10
 Festinemus: et haec de libertate laborant,

Sed prius insertam rumpamus moenibus arcem.

Hannibal hesterno conspectus in agmine victor

Auxerat obsequiis decus et titubantia corda

Nondum fida satis post acta foveantur in illo:

15

Tota igitur moles belli spesque omnis in uno

Figitur, huic mandant fatum patriaeque suumque.

Ille autem media deiectos urbe superbos

Esse nihil statuens, campi nisi funditus arcem

Tollat, ab insidiis ereptam vindicet urbem

20

Et faciat somnos alta sub nocte quietos.

Huc operam curamque omnem maturus habebat

Caetera despiciens etiam, quod seque suosque

Tangeret. Officio totus vigilabat in uno:

Ne quis nocte ruens, ne quis sub luce receptus

Muniat obsessos aut noxius ingruat urbi:

Alterutrumque timens occurrere gliscit utrique.

Et iam praecipitem medio perfoderat arvo

Fossam, qua domibus duram secerneret arcem.

Agger in interius iacitur, consurgit in altum

30

Grande opus et vallo caute munitur et aequis

In spatiis turres et propugnacula iungunt.

Nec satis est urbem defendere; protinus hostem

Exclusisse parant, includere scilicet extra.

Munitas pariterque altas fodere lacunas

35

Loricaque super ac turribus emunitas,

Ne quis ad auxilium veniat, qui vindicet arcem.

His ita dispositis vario diversa tumultu

Proelia et arma cient, bombis levibusque sagittis

Missilibus temptant alterna pericula. Tandem

40

Insperatus adest Hestor Manfredus et alas

Inducens equitum portas intrarat apertas.

Itur in adversos et tota vulgus ab urbe

Excitum ruit huc; pugnatur limine in ipso

Galleriae, sed iniqua viris ea pugna furebat.

45

Quippe a fronte ruunt equites, a margine dextro

Glandibus et telis effulminat impetus arcis —

Civis et a multa cadit inter bella sagitta.

Sed quid non patitur virtus? nec coepta remittunt

Cives. Sed facta est impressio maior et hostis

50

Exclusus turbatus abit. Galeatius illic

Enituit fratresque duo, quos ante probavi;

Iannesius nec parva tulit praeconia secum.

Hac pugna effectum est, ut, quos fiducia pridem

Ceperat intrandi tantam violentius urbem,

55

Et iam proriperent instructi, strage suorum

Atque fuga retro pulsi penitusque redirent.

At civis, ne quid rursus temptetur ab illa

Parte, fodit humum fossasque induxit in altum
Et breviter vigilans emuniit obice turrem. 60
Perque dies aliquot cessatum a turbine belli.

Denique tam duros turbaret ut Hannibal hostes,
Pene malum peperit non enarrabile; nanque
Nanque molendinum positum sub moenibus arcis
Vertere dum properat, quo diro incommodet hosti 65
Eripiatque usum faciendae ad vota farinae,
Pergit et aspirat primo fortuna labori:
Nostri in tecta volant, emittunt viribus hostes.

Primus et e numero Galeatius instat et urget
Armatus, clipeatus, atrox in limine. Contra 70
Non illum virtus obstans armata virorum
Movisset, manet in mediis atque increpat ultro
Ignavosque vocat minitans: Ibi Tartarus asper,
Hic arcis praefectus erat Vulcania proles.

Martius hunc contra Galeatius ibat. At ille
Praemetuens cernensque virum pro turre locatum
Ac socios ignem poscentem:

Ergo ignibus, inquit.
Pugnandum, neque tu solus per fulmina victor
Igne cremabis opes nostras?

Haec fatus ab alto
Ponte premit contra, nigris quos duxit ab umbris 80
Fulmineos homines sclopis atque igne minantes.
Ac prior in Calvum directo fulmine glandem
Post sonitum versus grandem contorsit. Et illi
Nec fortis clipeus loricave restitit, ultro
Perforat atque humerum peragrat furiosa sinistrum
Excussusque viro clipeus. Iam tela secunda
Instabant sanguisque volans. ut fistula plumbi
Quando emittit aquas, late fluit, aera rumpit.
Qualiter Aeneae conspectum in corpore vulnus
Terruit usque suos: sic caetera turba priorem 90
Ut vidit laesum, conterrita contremittit omnis.

Ipse videns, quod sit pugna congressus iniqua,
Cedit et imposito digito sua vulnera claudit.
Caetera turba pavens aspectu vulnere raptim
Terga dabat; rapit et sese Galeatius ipse. 95
Quando instare nequit graviter percussus, et hostes
Clamorem adiiciunt et fulmina plura coruscant,
Quis duo praeterea cecidere suisque receptis
Quos Tydeus audensque pari fervore Ianesus
Et cum fratre simul multa virtute recepit. 100

Mirum, cur illo casu servatus uterque est:
Nondum fata viros hos invidiosa trahebant.

Hannibal in damnum temptata pericula cernens

Pulsus ab incepto secum gravis et simul ardet
 Rimaturque viam, qua durum exerceat hostem 105
 Et domitum cogat demum in sua iura venire.

Spes erat armorum, Vermes Aluisius hostis
 Quae regit anguigero late famulantia regi
 Et quibus insedit patrios durissimus agros.
 Hic si victus agi queat aut cum gente necari, 110
 Nil obstare viris, quin et victoria praesens
 Afforet et facti compleret fama nitorem
 Orbis et ingenti floreret gloria plausu.

Huc igitur mentem rapit, huc vir clarus anhelos
 Exacuit motus animi et consulta fatigat. 115
 Libertas ipsa expetitur; iam fama propinquos
 Propositi pulsat populos et primus ab oris
 Etruscis aderat Simo dux impiger. Adsunt
 Tercentum laeti comites equitesque verendi.
 Tum Venetus simul arma dabat sociosque fovebat: 120
 Ille quadringentos comites ductore Tiberto
 Miserat, at cunctis praestantior extat in armis
 Navarinus, et hic pretio conductus agebat
 Felsineas vires equitum dux optimus et vir
 Mente fideque bonus, iratus et asper in hostem. 125

Praeterea secum volvens animoque volutans
 Hannibal agnoscit quam pluris esse suorum
 Mente manumque bonos bellis et ad arma paratos,
 Qui virtute duces aequent. His insuper audens
 Et bene confisus statuit fera proelia campi 130
 Temptare atque suam fortunae credere sortem.
 Haec secum meditans etiam discussa diebus
 Ad fidum perfert clarae virtutis amicum,
 Fulmine qui laesus pridem fervente tumultu
 Acre domi residens cubiti damnum arte levabat. 135
 Huc igitur sua coepta ferens gravis intrat et infit:

Salve o magnanimae virtutis nobile pignus!
 Quam piget esse domi? Quam te sine proelia quaedam
 Misceri? Caput esse soles et palma laborum.
 Nunc immunis abes, malles ut adesse furori. 140
 Attamen ad paucas durabunt otia luces
 Atque utinam posses mecum perferre laborem,
 Quem velut egregium statuo temptare per horas,
 Aspiret fortuna operi, quae sola favores
 Dat certos adimitque premens virtutis honorem, 145
 Saepius ignavos etiam splendore coronans.

Miratus tacuit Galeatius; arbiter omnis
 Iussus abire; sub haec licito sermone fruuntur.
 Huc tamen accitus Tydeus venit atque Ioannes
 Marescottus; in his medius sic ora resolvit 150

Hannibal:

Ignotum vobis me tendere quicquam
 Conari impietas foret. Haec igitur volo coram
 Effari, ut vobis eadem — si forte placebunt —
 Communem laudem pariter foveamus et adsit
 Prosperitas et commoditas aequalis utrisque, 155
 Aequa etiam patriae, cui nos debemur et omnes,
 Qui modo nobiscum tractabunt munera belli.
 Territus accipio, Vermes Aluisius hostis
 Colligere arma parat, procul ac inhonoris abire.
 Hunc si fata premunt, ne quis fidentior hostis 160
 Audeat in nostros fines post facta venire.
 Impetere atque omnes in eum consumere vires
 Constituo; nec vana vocat fiducia mentem,
 Si satis expendo vim nostram ac illius arma.
 Praeterea metus inde premit; nos concitat ira 165
 Iustior et rebus movet expectata iuventus;
 Suadet et antiquis par gloria, nanque vetusta
 Fama est invictos vicinis semper in arvis
 Bononiae populos. Haec — si fortuna favebit —
 Una dies bello positus nos explicat armis. 170
 Consulite in medium, ne me fiducia fallat.

Dixerat et contra sic rettulit orsa Ioannes:

Maxime Bentevolum splendor, quo sospite fatum
 Urbis et antiquae respirat gloria gentis;
 Quae tibi nunc visa est, eadem sententia nobis 175
 Obversabatur. Sed dicere sensa verebar,
 Ne me forte animus studiumque immane novandi
 Consilium falso traheret. Tua dicta revolvens
 Acrius in furias feror et via sola salutis
 Haec monstrata placet. Faveat fortuna iubenti. 180

Haec ait; ulterius nihil est. Galeatius inquit:

Quo res nostra queat felicius esse? Sed audi,
 Quae mihi nunc adiuncta placent. Dii coepta secundis
 Fortunent vicibus. Sed te meminisse decebit 185
 Propositi illius, quod primum sanximus ipsa
 Illa ex arce, ubi te saevus damnaverat hostis:
 Omnibus ut studeas consultum civibus, omnes
 Nunc et in arma voces, omnis servate labores,
 Omnibus invigiles, fortunas omnibus aequas
 Esse velis, pereant antiquae crimina culpa, 190
 Quo se quisque animo nunc dat, servetur in illo.
 Factio prisca nihil noceat, redeamus in unum.
 Sic tibi erunt vires et erit tibi gloria maior,
 Numina te aspicient, victoria laeta sequetur,
 Laus tibi semper erit, spoliis se quisque repertis 195
 Ornet et imperitans contentus laude triumphet.

O utinam comes esse tibi praestantibus ausis,
 Hannibal, et possem clari spectator honoris
 Adiutorque sequi. Tris hos mea pignora fratres
 Accipis hisque tuam certus commendo salutem. 200
 Te precor, illorum statuas memor esse vicissim.
 Festinate, viri, faveantque silentia rebus.
 Ipse per urbanos tantisper adesse labores
 Ad commune bonum datus et mea membra fovebo.
 His dictis finem faciunt. Sol altus habebat 205
 Dimidium caeli fugiens postrema leonis.
 Hannibal egressus multis comitantibus ibat
 Facturus ad coepta habiles, utcunque paratus
 Seductisque parum iis, quorum referre putaret
 Vincere, qui norant populi propellere mentes 210
 Multorumque animos iubet ad ventura parari,
 Quantum quisque valet: Contos, tela, arma, ministros
 Electosque capi, nec enim foret usus inertis
 Militiae; res esse graves breviterque vorandas
 Et lateat sibi quisque domi, cum tempus adesset, 215
 Sive tuba, seu se campana signa daturum. —
 Paretur; totamque ruit data fama per urbem.
 Nox erat et tota populus fervebat in urbe,
 Nec quisquam tanti norat secreta tumultus;
 Iussa volant epulis curare et corpora somno 220
 Interea ad signumque operis venientis adesse. —
 Extremus roseo cancer veniebat ab ortu,
 Et iam iam superat medium iuba torva leonis,
 Virginis ora dehinc accepto sole calebant,
 Plus horis spatium distans a luce duabus.
 Hannibal exierat et iam data signa per urbem
 Concierant populum maiorque exercitus illi,
 Quam speravit, erat; diversaque factio plures
 Miserat et quorum virtus spectata refulsit.
 Dux sublimis equo sumptis spectabilis armis 225
 Eminent et circum funalia multa relucent.
 Iamque aderant aliique duces parsque ampla virorum
 Prompta. Sed ante alios Calvi tres, apta iuventus
 (Iannesiusque simul nunquam distractus ab illis)
 Non ignara modi longosque experta per usus 235
 Excelsis lucent in equis armisque corusci
 Circumstantque ducem, acuunt favoribus iram.
 Pierus ille equitum ductor mercede paratus
 Nondum aderat, sed ad hunc electus nuntius ibat
 Et monet ante diem collectis omnibus alis 240
 Carpere iter et aquas fluvialis margine ripae
 Rite sequi et sanctum captare Georgion; illuc
 Affore venturos omnis, ibi caetera caute

Constituenda. Dehinc erecta in sidera mente
Dux ait:

O superi tuque o dignate iacentem 245
Christe levare hominem, adsis adiutor et ipse,
Si pia concipio, si nil crudele parari,
Da, pater, auxilium et iustis accede querelis.
Non vindex mea damna sequor, sed criminis ultor,
Sed patriae, foedis quae sit confecta rapinis 250
Et spoliata suis, venio rerumque sacrarum,
Quas in perniciem gentes vertere profanae,
Quas modo deiectis trucibus staurare laboro.
Annue resque tuo nostras, precor, omine firma.
Augebo cultum, pacem dabo civibus aptam,
Officia et mores et iura aequata reponam
Postibus et sacris spolia atque insignia figam
Donaque continuos voveo repetenda per annos.
Hinc iubet ire viros passim portaque dicata
Donato dat signa viae. Praeit agmine longo 260
Turba frequens, medio se conserit agmine ductor
Et clari proceres sagulis armisque decori.
Hos bellator equus efflans e naribus ignem
Non sinit ire pares et saltibus aera scindit,
Laetitiae fremens laetum dat euntibus omen. 265
Hector Malvetius puris aspectus in armis
Et Lodovicus item, quem paenula rubra tegebat.
Karolus hic etiam Blancella e gente creatus
Bellator civisque bonus fulgentibus armis
Eminet et dextra saevum rapit ille tridentem. 270
Opicus et Pepulus, Quarto simul Acius ibant,
Magnanimus Lodovicus in his erat ille luporum
Venator, Iacobus Lino fortissimus idem
Et Baptista ferox Volta spectatus in illis
Et plures alii, sua quos hinc fama sacrabit. 275
Hos alius sequitur densis exercitus armis
Egregiique duces, quorum pars magna superbis
Vectabatur equis cataphracta altisque nitebat
Cristis et sua quisque trahens regit agmina. Tandem
Expliciti properant acres; sermo omnibus idem. 280
Latronum fera facta premunt, qui funditus urbem
Tempore tam parvo confecissent et apertam
Vim pro iure palam facerent, quos fomite longo
Nutrisset ducis anguigeri mens impia, quando
Funderet in multos innati semina morbi
Instrueretque alios illa, quam noverat, arte,
Quam commentus erat quaque ipsum infecerat orbem.
Ventum erat ad ripam fluvii et vada nota Luciae;
Cum iam clara dies omni de parte nitentes

Excuteret radios et sol sine nubibus esset, 290
 Traiciunt, iam iamque aderant, ut cernere possent.
 Ordo equitum iam se per mutua signa salutant
 Castellumque petunt sancti confine Georgi; —
 Hic sese expediunt accincti atque itur in hostem.

Dux ibi, quod longus favor et violenta potestas 295
 Transverso mentes pavidas torrente tulisset
 Cultoresque loci trepidos ad utrunque putaret,
 Accitos aliquot sic admonet ore benigno:

Quamquam vestra fides nunquam nostra arma fefellit
 Et semper constans animis opera ampla peregit 300
 Pro patria et vestros necubi spreveritis honores,
 Excitasse iuvat vos et monuisse loquendo,
 Ne quid in adversum rapiat male cognita causa,
 Roboret et nostrum meritis extendat amorem.

Nos primi trucibus depulsis urbe tyrannis 305
 Libertatis iter multo sudore parandum
 Stravimus et fuso venamur sanguine pacem.
 Otia tuta damus vobis, neque poscimus arma,
 Nec, si sponte sua quisquam velit arma movere.
 Indignamur eum, sed, quae sint commoda nobis, 310
 Vobis tuta, date et quae nemo coarguat hostis
 Et sint apta sibi, nisi vis et fata resistant.

Dolia plena, cados undis vinoque parari
 Et parvam cererem, quae corpora fessa labore
 Sustineant, recreent animos et praemia iusta 315
 Poscite, non ierit spes vestri ingrata laboris.
 Adveniant ipsi, si possunt, — quis vetat? — hostes
 Atque bibant. Sed erit lux haec spectabilis alta
 Caede virum et multi confusa strage natabunt.
 Vos spectatores facimus potusque ministros, 320
 Ad quos venturae laudis pars magna redibit.
 Este viri, nos hinc opera ad maiora vocamur.

Accipiunt mandata viri currusque rotasque
 Doliaque expediunt, pro portis omnia firmant,
 Imposuere rotis alia taurosque vocatos 325
 Ad iuga componunt arcasque liquoribus implent
 Baccheis, alias implens Achelous habebat.
 Dolia lata vage ac longe a moenibus ipsa
 Constituere via, perlucet in omnibus unda,
 Nec puerae cessant vectare capacibus urnis. 330
 His ita compositis multi ieiunia solvunt,
 Quos et noctis iter, quos ira pavorque coquebat.

Et iam quinta redit solitis prius hora diei
 Servitiis altumque furens exhibat in axem
 Phoebus et ignifero candebant sidere messes 335
 Famaque non longe consertis viribus hostes

Adventare monet, — nec erat mora longa, — ruebant
 Ordinibus certis et iam prope tuta tenebant.
 Hannibal id veritus festinat et ire priores
 Imperat adductos equites, ea iussa secuti 340
 Pierus atque Simo properant civesque vocati
 Plures, arma quibus et cura domestica belli
 Ingeniumque ferox firmataque viribus aetas.
 Cornipedesque boni quingentos agmine denso
 — Aspicias equites plus mille in plana duros — 345
 Obiciunt medio venientibus agmina campo,
 Nam Tibertus iter diversum ceperat inde.
 Is locus a muris castelli forte secundum
 Signabat lapidem. Iamque Hannibal impete nullo
 Compositos rapit inde suos, ne fessus in hostem 350
 Civis eat. Legio plena est, plus milia septem
 Complexa et multos clara de gente creatos,
 Quos inter primae vir nobilitatis agebat
 Karolus egregiis late conspectus in armis
 Blancellus, qui mox post proelia victor honestis 355
 Ornatus spoliis ad patria tecta reversus.
 Parvus equum numerus, vix quinquaginta, sed ille
 Terribilis campo late spectabilis altis
 Vibrabat cristas, spargebat et aureus ignem.
 Ex equitum numero partem vir maximus unam 360
 Sumit et ex peditum populo vix mille priores,
 Caetera commendat ducibus, qui signa tuentur;
 Stare iubet, nimias tantum propellere vires,
 Dum redit aut aliter quicquam denuntiet, inde
 Transversum ferit et non, qua prior impetus hostem 365
 Pulsabat, qua primi equites sua tela flagellant.
 Tollitur in caelum clamor. Tum pulvere multo
 Nigrescunt tenebrae et solis minus officit ardor.
 Dux ibi conductus cernens, quo robore cives
 Incurrant quave arte premant feliciter hostem, 370
 Erubet atque aliam secum rapit impiger alam
 Irrumpitque fremens; cuncti clamoribus addunt
 Perturbantque viros, multo decedere campo
 Cogitur inque suos cuneos retro frangitur hostis
 Et multi cecidere viri, nec parvus equorum 375
 Caesarum cumulus, durus furit undique Mavors.
 At dux Felsineus rursus crudescere bellum
 Aspiciens quosdamque etiam cecidisse suorum,
 Commendat sociis tantisper et ipse revisit
 Signa rapitque alios bis mille ac rursus eodem 380
 Advolat ac fessos retrahit retroque remittit.
 Dux conductus item comites a Marte receptos
 Respirare iubet sociumque ad facta Simonem

Fortia sollicitat, nec segnior ille frementi
Procurrebat equo, socios et in arma vocabat: 385

Nunc, o lecta manus, nunc, nunc incurrite mecum
Ac, si quando viri, nunc fortia facta referte.
Vincere quando nihil dubium, deterritus hostis
E virtute virum prius obstupuitque repente
Circumventus et haec manus est extrema laborum; 390
Hac, Vermes, moriere manu.

Sic fatus abibat,
Sic bis centeni stimulo et clamore sequuntur.
Incursant, hastas minuunt multosque supinant,
Vulnera multa ferunt, necnon et multa reportant.
Ad clavas rediere manus durasque secures, 395
Nam gladiis non usus erat, tot fortibus armis
Quid faciat gladius, nec enim nunc saecula vanum
Ducta per elogium, solo mirantur in ictu
Decisos homines et equos in partibus aequis,
Armatos etiam. — Sed iam fera bella sequantur. — 400
Ad clavas rediere manus, ibi plurima cernes
Facta, quibus stupeat laudata et fortior aetas.

Interea agrestes mirati facta suorum,
Quae maiora fide spectarant turribus altis,
Ultrò aderant. Simul arma manu, simul illa ferentes 405
Curribus atque humeris, praesens quae posceret usus,
Dolia, vina, cados, panem, bellaria, fruges,
Caseolos, cistas et pocula, vasa, patellas,
Panniculos, cocleas et acus et multa ligantur
Vulnera et ultores in proelia saeva remittunt. 410
Exhausti refoventur equi, refoventur et ipsi.
Miles equesque suis vicibus supplentur et arma;
Acrior inde redit crescente doloribus ira.

Iamque Navarinus finem dare fervet et omnes
Eximios equites requie potuque refectos 415
Admonet et: Tempus, ait, est accurrere nostris. —
Hannibal optat idem paulatim egressus et omnem
Immittit bellis aciem, simul omnia signa
Promovet ac capit arma ruens maioribus alis.
Inde memor revocat fessos, refici atque redire 420
Ocius ad praedam monet. Hic perterritus hostis
Et iam lassus abit campo rebusque relictis
Exulat atque alio tutum sibi quaerit in orbe;
Acrius, ac pridem, pugnax exercitus obstat.

Et si fama ducem fugere atque obsistere pugna,
Plura tamen campi spatia oppugnata relinquunt 425
Agmina, fama volans Vermem fugitare, salutem
Quaerere cum paucis affert. Hoc acrior urget
Hannibal, hic iuvenes Calvos equitesque suorum.

Et qui tam forti nunquam sub Marte vel uno 430
 Momento abstiterint a pugna a seque tuendo,
 Indulgere sibi paulum iubet, inde refecti
 Vividius redeant, cunctos in bella reducant.
 Ipse alium conscendit equum et minus ac minus instat;
 Idque Navarino denuntiat atque Simoni, 435
 Dum se non videant consurgere, molliter alas
 Instigent. Breve tempus erit, sic fallimus hostem
 Sole, fame, ferro, pugna et formidine victum.
 Iamque aderant omnes, iam signa minantia pugnam
 Distribuit lateque iubet circumdare victos 440
 Hannibal et densis ire indefessa manipulis
 Agmina; circumeunt praefecti, praecipit ipsos
 Id curare duces. Iacobus praeponitur illis,
 Cognomen Lino cui sit, qui multa decore
 Praebuit officia praestans. Dux primus aperto 445
 Hannibal et Calvi iuvenes atque Acius ille
 Quartanus firmis invadunt viribus hostes,
 Avertunt, scindunt cuneos multosque trucidant.
 Insequitur nimbus peditum clipeataque turba
 Maioresque ferunt qui contos quique sarissas 450
 Et qui pila vibrant saevasque in bella secures
 Exercent et qui splendonibus arma virosque
 Decidunt et equos obtruncant et levis omnis
 Armatura procul densis non ingruit armis.
 Haec tamen aut nulla est, aut est exilis in illo 455
 Agmine, Felsineus quoniam praesentia miles
 Ora gerit, non fraude procul fallente sagitta
 Impetit et nullas amat inter bella tenebras
 Vincere vel clara vinci sub luce paratus.
 Et modo Gallorum solito violentius agmen 460
 Inclusum equitibus Phoebi surgentis ab ortu
 Hannibal australi claudit de parte paventes;
 Omnis item populus premit. Admirandus in illo
 Marte fuit Iacobus Lino Calvique secuti
 Semper ubique ducem; plura et praeclara tulerunt 465
 Nomina nec tantum, qui firma aetate viriles
 Ducebant cuneos; prima lanugine fulgens
 Antenor specimen referens virtutis avitae.
 Ibat in adversos iratus et arduus hostes
 Acius; hic etiam fuit admirandus et ille 470
 Opicus egregia Populorum e gente creatus.
 Bartholomeus item Ruber et vir Marte feroci.
 Sic et pace potens clarisque Ianesius actis
 Hac meruit pugna notae praeconia famae.
 Summa ducis virtus aliis praecelluit, unus 475
 Ante alios meruit, victi cui terga dedissent.

Et iam terga dabant miseri, non impetus ullus
 Restat equis, non vulneribus procurrare cogi
 Iam poterant; virtutis inops vix vita relicta est.
 Terga dabant tantum; domiti suprema fateri 480
 Coguntur. — Latos tenere cadavera campos.
 Omnis in occasus fuga fit; nanque ortus et auster
 Hostibus accedunt, arcton clausere paludes.
 Maxima pars capitur praedaeque potitus opima
 Fortibus oppressis retro rapit agmina ductor 485
 Securus patriae felixque reusque deorum,
 Libertate potens et nomine sidera tangens.
 Pervenit in patriam deleti nuntius hostis
 Et paeana canunt laetatique omnibus aris
 Sacra parant, ultro properant; effusus ab omni 490
 Urbe ruit populus victricibus obviis armis
 Et data victori pars est non parva triumphi.
 Interea totam templorum excussa per urbem
 Aera sonant ipsique patres, quis publica curae
 Res foret et sacras defendant ordine leges, 495
 Imperiumque tenent maiestatemque verendam.
 Egressi paulum occurrunt primique salutant
 Atque patrem patriae servatoremque fatentur.
 Pone sequens pompa invehitur captiva triumphi.
 Frons erat et miles ducis hic decantat honorem: 500
 O bene Bentevolum commissa Bononia genti. —
 Accedunt comites; una est vox omnis in uno,
 Laus omnis facti et victoria plena relucet.
 Ille autem ingressus patribus concepta revelat
 Vota deo promissa, quibus damnatus et obses 505
 Stringitur, ut nihil hac, nisi secum solverit, arra
 Temptandum, nec fas superos sperare benignos
 Supplicia et fieri in lucem petit ille sequentem.
 Concedunt et fama datur divisa per urbem,
 Suppliciis cras esse diem, res o bene gestas 510
 Victorisque ducis genium conceptaque vota
 Curia concipitur, fiunt decreta senatus
 Donaturque deum matri, quod voverat ille.
 Idque ratum cunctis statuunt redeuntibus annis
 Pontificemque iubent ritum hunc renovare sacrorum, 515
 Quo regina iugum tam foedum excusserit urbi.
 Haec ubi facta, ipsum victorem ad limina grati
 Deducunt operum longosque ut duret in annos,
 Quanquam surda rogant superos et non pia fata.
 Ille domi positus grates agit; omnis in aedes 520
 Turba suas abiit et nox optata labores
 Clausit et in requiem pars est data temporis apti
 Captivique locis aequa pietate fovetur.

Expectata dies aderat purusque labores
 Delius antiquos optata luce vehebat.
 Rursus in hesternum redeunt provisa tenorem
 Consilia et casu lux est signata Mariae,
 Montano quae culta loco supereminet urbi
 Pluraque se circum loca religiosa tuetur.

Ergo ex more prius solemni et laude recenti 530
 Et per vota ducis pompa huc effusa per omnes
 Erigitur tenditque vias: dux ipse paratu,
 Qui deceat patriae decus et qui sacra ferentem
 Aris dona patres, alios in templa trahentem,
 Incedit; sequitur maiestas omnis et omne 535
 Vulgus et est pompae gravis et spectabilis ordo. —
 Ventum erat ad templum, dux hic proque omnibus unus:

Virgo, ait, angelicis quae delectata choreis
 Sprevisi terrae sordes et frivola mundi,
 Ob rem facta deo similisque acceptaque magno, 540
 Cui nunc sacra damus vota et repetenda per annos.
 Hanc, regina, tibi servandam suscipis urbem
 Idque sequens binum stravisti funditus hostem.
 Sed superest alius; hunc tu, regina, superbum
 Funde solo et fidam tibi solve pavoribus urbem, 545
 Ut tibi, diva, domos amplas, dona ampla feramus.
 Et te mente magis, dea, promereamur opima.

Haec effatus idemque alii; discessit ab aris.
 Pro se quisque sacris functi, declivia montis
 Dum carpunt, oculis ipsam indignatibus arcem, 550
 Quae durata tribus iam mensibus omnia turbat,
 Suspirant omnemque iterum convertere in ipsam
 Decernunt molem belli. — Dux ora resolvit:

Ille quidem dignus, de quo non parva petantur
 Supplicia, et nimium contra mea fata superbus
 Obstitit et carum confixit vulnere amicum.
 Si tamen hic quando spes est ablata salutis,
 Foedera nostra capit, leges nec respuit aequas,
 Cedo deis; at, si pergit, per numina iuro,
 Nulla viris pietas posthac, non foedera sunt. 560

Haec ait et comitum scitum de plebe Drianta
 Compellat notisque instigat vocibus ipsum:

Vade, ait, et duras haec arcitenentis ad aures
 Haud dubius mea verba refer, nisi reddere turres
 Nunc et abire parat, quando est sibi tuta facultas 565
 Spesque ablata perit superatis viribus hostis,
 Nulla sibi posthac me foedera tuta daturum.
 Spem nullam superare mei, si iussa secutus,
 Quamquam multa nocent, etiam nunc cedit agenti.
 Postulet, accipiat, modo non inhonesta petantur: 570

Haec mihi votorum summa est, hic nuntius esto.

Dixerat. — Ille viam passu properabat aperto.

Ut procul e campo durum videre Drianta

Custodes, laeti accipiunt, ut gaudia vulgi

Murmuraque et totas nossent utcunque ruinas

Et quo nunc opus est facto? quis legibus arcem

Nunc quoque respiciant? an adhuc toleranda pacisci

Malint? extremis an adhuc insistere rebus?

Ille refert mandata ducis remque ordine pandit.

Tartarus auditis haec tunc responsa remittit:

580

Tristis et invitus, ferro profligata virorum

Agmina, sed grates superis ago, quando cadendum est.

Non vitio factum esse meo, ne cuncta manerent,

Quicquid adhuc feci, scio me virtute fideli

Omnia temptasse et nunc, si fortuna iuvaret,

585

Non deserturum, quae fortiter ante pararam.

Sed male coepta cadunt, nec me spes omnis ademit.

Bissenos mihi pango dies, desertor apertus

Ne sim, post illos venturum in foedera testor

Esse ducis vestri, modo digna et iusta petantur,

590

Accipiantur item, dum gratia mutua regnet.

Haec ait. — His ille auditis vestigia retro

Flexit et Hannibalem Laribus convenit in ipsis

Mensarum sub fine ipsis de rebus agentem

Cum sociis illumque iubet responsa referre.

595

Sint quaecunque palam, tunc moriger ille volenti:

Hannibal, ista reor Christo et genitrice verenda:

Movistis resque optatum captura videtur

Auspicium, arcitenens ait esse ad iussa paratum,

Bis sex quando ierint luces, dum commoda rebus

600

Accedat ratio. Sese, quae facta fuerunt

Hactenus, excusat. Tulit haec insania Martis

Et tibi victori gratatur et abstinet armis.

Vocibus his animi moles atque acrior ira

Occidit et superest aliis occasio rebus.

605

Ergo inter sese vicibus bis terque novatis

Ac iam tractando transmissis octo diebus

In summam confertur opus, quo tertius inde

Phoebus honoratam formidine solveret urbem,

Solveret inclusos et sors foret aequa duorum.

610

Arcitenens totum, quicquid misisset in arcem

Dux Ligurum, quicquid teli armorumque fuisset

Servatum, quicquid vitam muniret alendam,

Omnia se populo spondet sine fraude daturum,

Menses esse tamen plures, quis praemia nulla

615

Cepisset, quanvis aluisset in arce trecentos

Mole mali tanta media inter vulnera belli.

Attamen in sola ducis haec pietate relinqui
Iustitiaeque placet, nil se, nisi nomine doni,
Laturum et populi super omnia pangit amorem. 620

Hae voces flexere ducem, qui deinde benigne
Suscipiens suadensque aliis in foedera laetus
Venit et officium officio maiore rependit.

Iamque dies aderat postremus et Hannibal in se
Arcitenentis opus populique assumpserat omne
Omnibus id gratum ratus esse vel utile cunctis;
Iam cives ultro visebant foederis arcem
Et non offensae visebat Tartarus urbem.
Nec quicquam superest hostile et mutua laeti
Inter se libant convivia; denique cautum 630
Pro dono plus, quam ille expectaret; et intra
Temporis exiguum spatium dimissus abibat
Tartarus et secum totus processerat ordo
Fidorum comitum, fines dum tangit Etruscos.

Arx depulsa loco, munimina et intus et extra 635
Sunt aequata solo, veteres tantummodo muri
Servantur, proprii tunc facta Bononia iuris,
Certa nec externum passa est ambire potentem.
Fama rei multum iam conciliarat honorem
Et castella suam properant agnoscere matrem, 640
Omnibus in primis turbati ex arcibus hostes;
Omnia in antiquum redeunt solidata tenorem,
Nec quicquam interea felici deerat in urbe,
Quancumque grandis erat consumpta pecunia, pauper
Fiscus et abductos servabant vincula cives. 645
Pro quibus inclusus servatur in urbe tyrannus.

LIBER III.

Pulchra ex horribili, tranquilla e turbine tanto
Res erat et redeunt humani in pectora sensus
Postque iram subit anxietas diversa priori,
Nec nisi per fluctum trahitur via temporis huius.
Itur in antiquum per publica munera morem
Conveniuntque patres populique aequata reducunt
Officia atque decem prima de gente creantur,
Quos penes arbitrium sit, ius et regula rerum.
Inque illis servatus honor splendoris honesti,
Iis etiam, qui sint hostili carcere clausi, 10
Nec, dum respirent, tamen hoc in lumen ituris.
Post paulum geminatus honos diversus et octo
Constituere viros, qui bellica iura ministrant.

Interea si quid suspectum emergerit et sic
Res humana suum reperit firmata nitorem, 15

Attamen in cunctis semper prior enitet altus
 Hannibal et vox est ea maxima, quicquid agendum
 Sive manu seu consiliis et mente parandum
 Famaque per populos illum praeclara ferebat.

Et iam Canneduli redeunt, iam carcere missus 20
 Malvetius Gaspar, iam natu maior Achilles,
 Virgilium fratresque alios patria urbe salutat.
 Et iam Franciscus Picininus liber et ipse
 Redditur in lucem iusque illi cedit eundi;
 Mox abit et totam solvit terroribus urbem.

Iam mera libertas omni formidine dempta
 Cernitur et studio maiore incumbitur actis
 Vixque super tantae restat feritatis imago.
 Hannibal ergo parans veterem dare civibus omni 30
 Arte modum, constans ut disciplina maneret,
 Neve per insidias solitas urbs tanta periret,
 Consilium vocat et celsa de sede profatur:

Magnanimi proceres, quibus haud minor esse recusem
 Inferiorque meam patriam et privatus amare,
 Id quod quenque decet, quanquam praestantis amici 35
 Munere seu fato patriae data copia, primus
 Libertate fruor, prius in fera bella resurgo.

Iamque quater victor vos vestra in sede repono;
 Divinis, reor, auxiliis et numine dextro, 40
 Scilicet adiutus a Christo et virgine diva

Maxima res facta est, tamen et maiora supersunt,
 Quae breviter — modo vos animos adhibete — docebo.

Saepius hic populus liber, tum saepius acri
 Esse sub imperio passus, nec raro suorum
 Arbitrio infelix domitus facta impia flevit, 45
 Nec mihi narrandi totas ab origine clades
 Inter nos factas et crimina foeda voluntas.

Vix pauca e multis referam, quibus auctor apertus
 Marescottus hic est Lodovicus. Saepe tenellus
 Audivi, cum forte domi sua damna doleret, 50
 Iussus apud sese vitam traducere vivo

Patre meo atque hominis tanti sectarier artes.

Gratiaque et nobis usque a maioribus ardens

Hac cum gente fuit, nunc est ardentior, ergo

Rite audita licet tanto de patre referre.

Post Lambertatios eiectos funditus atque

Consumptos Albertus honos is gente vetusta,

Calvorum caput et vires imitatus avorum

Duxit opes consul nostras et nocte sub alta

Praegressus fossas, etiam et munimina valli 60

Arte Tibaldelli faventia tecta subegit

Corneliique forum mox in sua iura recepit,

Auxit et imperium, quod Bononiensis habebat,
 Auxerat ante etiam consul Mutinensibus agros
 Ingressis nostros; id Marescottus in alta 65
 Samodiae convalle ferox longe inde fugatis
 Hostibus ac caesis immaniter et modo fama
 Milia quinque supra caesorum, deinde secutus
 Corradus tanto genitore et lumine dignus
 Archigraphum magni Federici in vincula iecit 70
 Virque virum pugna et campi certamine victum
 Atque illum peperit patriae virtute triumphum.
 Orlandinus in hanc patriam bene providus inde
 Hac ex gente satus doctrina armisque decorus,
 Is qui scribarum Latio dedit aureus artem
 Inque pios usus inopum miserator et urbis
 Erexit templum, cui sunt cognomina vitae,
 Isque per Italiam varios signavit honores.
 Hac tamen ex gente nati et de patribus illis
 Seditione truci victi lateque fugati 80
 Erravere locis variis, nimis unde repleta
 Hoc genere Italia est et partes clara per omnes
 Quosque fugae dederant cives, aliena recepit
 Terra illis melior longeque quietior et mox
 Nomina proscripta, deletae funditus aedes. 85
 Post modo sedatis tam longa mentibus ira
 In patriam reduces ferme centesimus annus
 Cum faceret iuvenes, domuum videre ruinas,
 Rura ignota novis dominis possessa, nec ullo
 Iure obsessa, tamen vetitis aliena manere 90
 Vindicibus; vix e multis per pauca recepta,
 Quae sint deinde novis opibus praefulta, minores
 Et quibus assertis aliis patrimonia iusta
 Confecere dies inter maiora domusque,
 Quas Amodeus in id vigilans multa arte refecit. 95
 Huic germanus erat Nicolaus maximus armis,
 Pace etiam magnus equitis quoque cinctus honore,
 Qui virtute potens similem sibi deinde Ioannem
 Progenuit, satus est demum hic Lodovicus ab illo,
 Qui bis turbatus patria multosque per annos 100
 Eiectus dum quaerit opes, quas ante reliquit,
 Vix quicquam solidum reperit, nihil undique certum;
 Et tamen ex illo prolem, quam scitis, adultam
 Intulit et rerum quavis de parte laborat
 Vir, quales utinam multos urbs nostra videret. 105
 Longius hoc videor sermone moratus in una
 Gente, quod ad plures similis iactura redundat,
 Confiteorque, fui, sed non opus omnia, quot sunt
 Flenda, sub aspectum deducere; par et in illis

Est moles, tamen, unde fluat tam pessima nostrae 110
 Condicio patriae, satis una ex gente cavendum
 Instruimur, nempe invidia atque superbia cladis
 Semina sunt huius tam debile pignus amoris.
 Nam quis amat civem? quis non rite invidet actis?
 Quem non torquet opum dira et furiosa cupido? 115
 Ut sit causa malis quarta haec adiuncta relatis,
 Livore ælatis animis et frigore amoris
 Ardor avaritiae tot nos in damna coegit,
 Tot patres, tot deinde sati in discrimina tendunt.
 At si nos animos nostros moderamur et ante 120
 Hunc intellectum ratione extinguimus ignem,
 Fata deus meliora dabit, nec semper in armis
 Offensi cives lacerabimus et tamen ipsi
 Vivemus laeti securaque pignora nobis
 Educemus et haec urbs admirabilis omni 125
 Creverit Ausoniae vel fiet amabilis altae
 Finitimique aderunt populi ad conducta parati.
 Nec satis est unam cadere in pia foedera mentem,
 Si non omnis idem populus facit atque tuetur
 Et non servantes manifesta vindicat ira. 130
 Nec satis est unum, si non et caetera fiunt,
 Servari, non durus ego, non mente superbus,
 Nec superare alium paro, nec mihi serviat ullus
 Invitus, bene sit, sed nec Lodovicus et alter
 Calvorum patriae gravis extitit, et tamen omnes 135
 Eiecti patria insontes bis terve fuerunt,
 Esset amicitia his quoniam coniuncta superbis.
 Non excuso meos, at de me spondeo, quod non
 Crimine sum tali patriae nociturus, et ultro
 Polliceor, nil tale meis quod surgat in actis. 140
 Vos modo, quisque sibi mentem hanc inspiret et alti
 Iura poli, sive est naturae impulsus honestae,
 Vincatis ratione animi, sit iuris et aequi
 Vis maior, cadat ambitio, procul omnis avarae
 Mentis eat non fausta homini vesana cupido. 145
 Discamus moderata sequi, firmemus amorem
 Civibus et nostro vincamus sidera sensu.
 Si tamen astra malum mortalibus ulla ministrant,
 Sit Christi doctrina potens, sit spiritus ardens,
 Sit fervore pio bonitas, aliena labore 150
 Commoda, quae studeant proprio conducere, cedant
 Crimina prisca, bonam quis desolavimus urbem.
 En ego nunc, Baptista, tibi, cui mente manuque
 Ante infensus eram, voveo per numina coram
 Sponte mea, non esse alium, quem ardentius optem, 155
 Cui servire velim magis et cui commoda ferre.

Hunc mihi tu responde animum, paria acta repende:
 Sic erimus virtute pares; non me invidus error
 Torserit a recto, quod opum tibi copia maior
 Quodque propinquorum cognatio densa. Putabo 160
 Esse meos, quicumque tui; curabo vicissim,
 Tu mea curabis et erit via laudis utrique.
 Haec exempla alii capient, ita numine dextro
 Patria tota suis grandescet legibus et frons
 Nostra per Italiam rebus splendeat honestis. 165
 At si per fraudes, per iurgia saeva dolosque
 Insidiasque agimus, velut hactenus, omnia sensim
 Ire in deterius laceramque videbimus urbem.
 Huic ego principium laudi auspiciumque paravi
 Teque tuosque atro fundo et paedore redemi 170
 Consilio illius, quo sum te maior amico,
 Qui me de tenebris raptum incolumemque reductum
 Extulit et tanto renuentem affecit honore,
 Viribus, ingenio, factis et honore beatus.
 Hercule non tantum, sed Marte ferocior ipso, 175
 Nunquam propositi vacuus, si rumpere caelum
 Constituat, pennis audacibus ibit in auras.
 Discipulus magni ducis est, quo bella magistro
 Perdidicit, quamvis huc illum fata ferebant.
 Ipse sed in patriam rediit iam certior usu 180
 Et disciplina firmatior; hunc ego iunctum
 Cum scio, non homines timeo, non fulminis iram.
 Hoc dictum est ideo, quia, si mihi parvus acervus,
 Gratia non parva est hominum, quibus omnia parent,
 Invidiaque vaco, nec enim leviora requiro 185
 Utiliora tenens, miseret quoque falsa sequentum,
 Cum possint optanda sequi, natura locorum
 Optima consuluit nobis mediaque locati
 Ausonia fruimur caelo utiliore, feracis
 Ubertate soli fontesque et flumina sacris 190
 Viribus atque aliis populis optata tenemus.
 Pervia cum toto facimus commercia mundo,
 Nemo potest nobis pauper, nisi vanus et excors,
 Vivere, cesset opum totiens tamque anxia cura,
 Ut Curii praecepta boni capiamus, ut esse 195
 Imperio dites hominum, non aere velimus:
 Aera gravant animos, virtus in sidera tollit.
 Non desunt et opes, quotiens opera ampla decorant,
 Praemia virtuti vel honor datur. Estque latronum
 Munera nolle pati, pretia extorquere merenti. 200
 Abscedat praedae rabies regnique cupido,
 Iungat verus amor cives, tueatur et ornet,
 Nec, nisi virtute et meritis, superare velimus.

Invidia infelix tota nil urat in urbe,
 Marescotta domus et in his exempla paravit 205
 Semper fida suis, nunquam dominata, nec unquam
 Perdita deliciis aliena in damna furore
 Prorupit pollens quingentos nota per annos.
 Cur ea plus patriam colit, ac nos? unane rectum
 Gens ea sola modum novit servare pudoris? 210
 Nos sumus immanes nullaue calescimus arte?
 Nunquam in convictum, nunquam in pia coepta redimus?
 Sed redeamus, ego te nunc fraternus adoro,
 Te patria et, qui sint servati a cladibus urbis,
 Tot proceres, ipsa haec te curia, vulgus et omnes 215
 Te, Baptista, rogant leges, miserere tuorum.
 Pone animos duros et iam bonus aspice cives.
 Haec ubi Bentevolus, proceres simul ore sonoro
 Gratantur solumque vocant, cui publica curae
 Res credenda, alios longe virtute minores. 220
 Laudant dicta viri, calida quoque mente locutum
 Testatur modus et vocis via firma, nec ullis
 Illita blanditiis, immo de corde fluendo.
 Et rata verba volunt fieri et Baptista libenter
 Ex animoque foris facturum spondet et intra
 Sentit in oppositum, quod res et vita rexit,
 Ni vitio alterius mens est labefacta fidesque
 Prodit, nec facile est excussum agnoscere verum.
 Postquam igitur fandi finis fuit, ocius omnes
 Dimissi proceres redeunt in tecta secuti 230
 Magnanimum Hannibalem, quem laude in sidera tollunt
 Ingentemque vocant meritis bellicae domique.
 Sed non fata diu tutum servare tenorem
 Hunc rerum poterant et erat sententia dispar,
 Quam dabat anguigeri rabies furiata Philippi. 235
 His pretiis animos infectat et optima solvit
 Consilia, ut nequeant miseri sua damna cavere.
 Hannibal Italia tota laudatus amicus
 Multo et honore supra reliquos evectus ab omni
 Parte salutatur, colitur, veneratur, amatur. 240
 Vixque duos annos status hic implevit et ecce
 Pessimus in medio furor incidit. — O male rebus
 Consultum teneris! O Felsina rursus in arma,
 Rursus in insidias miserosque immersa tumultus!
 Bis duodenus erat mensis; sacer ille Ioanni 245
 Forte dies canaeque ardebant sidere messes:
 Hannibal incepti memor et studiosus amoris
 Francisci puerum sacro de fonte levat
 Ghisilero fisusque homini, cui compater esse
 Coeperat; ad matrem pueri securior ibat. 250

Non ille insidias, non arma dolosque timebat
 Incautusque sui famulos quoque liquerat et se
 Indefensus eo pueris de more duobus
 Servatis prenosque humero compatre ferebat.

Erupere doli, quos compater impius ipse
 Struxerat et iacuit violatum nobile corpus
 Respexitque suum remanens tellure cadaver.
 Atque ita pervolitans aliis comitantibus ibat
 Implorare suis a summo rege levamen,
 Ne scelus hoc alios in fraudem duceret et ne
 Impia virtutem calcaret factio, neve
 Nominis umbra sui casu mutaret honorem:
 Talis et ante Iesu supplex stetit ille tribunal.

Nec satis hoc animis immanibus: arma latrones
 Invadunt graviora, hastas, venabula, contos
 Pilaque, roncynulas frameas saevosque dolonas
 Instructique ruunt Baptistae ad templa Ioannis,
 Cui lux illa sacra est et quo se pompa tulisset,
 Eventura rati, quae mens perversa putaret.
 Nec falluntur eo studio, nam forte repertos
 Quattuor a templo Calvos sua tecta petentes
 Assiliunt, iaculis turbant atque eminus hastis.
 Vix gladios illi tulerant; et turba nocentum
 Sedulo fit maior manibusque augentur et armis.

Occidit Antenor, mox occidit ipse Ioannes,
 Quo nec vir melior fuerat, nec amantior aequi
 Consilioque prior. Tydeus cadit ille propinquus
 Germano: ipse nequit Mavors miserere suorum.
 Tisiphone insultans aditus obsederat armis.

Ipse quoque in vulnus petitur Galeatius, illum
 Pallas ab aethereo delapsa tuctur Olympo,
 Quae dedit huic corpus nullo violabile ferro;
 Detertere ictus nequit, nam creber in illum
 Incidit et vario cutis est livore perusta,
 Servatus tamen e mediis est integer armis.
 Nam patriae fatum libertasque ultima terrae
 Ex illo pendet, fratrum ergo novissimus ille
 Vivus et infensus violenter agentibus intrat
 Inde abiens unus patrios post damna penates.

Huc quoque turba nocens illum violenta secuta est,
 Neque putat tanto spargendam sanguine. Sed iam
 Auxilio comites aderant carique clientes,
 Pauci pro numero hostili, sed firma iuventus:
 Maza ferox et Spezza furens habilisque Torellus
 Agabitusque ruens, Antonius ipse Caballus,
 Pierus huc etiam montana e gente creatus
 Ubaldinus erat, fuit hic Antonius ille

Presbyter et Michalus longo devinctus amore
 Ac animi praestans, aderat Iannesius ipse
 Fervidus ac alii, quos fama obscura recondit. 300

His tamen auxiliis foribus per tempus apertis
 Pugna fuit sat longa duas plusve acta per horas;
 Spe posita tandem digressi incepta relinquunt
 Immanesque abeunt scelerati. Abeuntibus heros
 Promisit fore se ultorem fratrumque domusque. 305
 Nec dedit in luctus animum; iam vulgus amicum
 Cogitur iratique expectant signa fremuntque.

Ille autem assumptis pridem, quae liquerat, armis
 Bellatoris equi auxilium de more poposcit.
 Sistitur extemplo sonipes illi arduus, acer, 310
 Candidus et nigris aspersus corpora guttis,
 Hic mutilus cauda solitusque lacerare ventos
 Et saltu in caelum vel in infima Tartara ferri:
 Mozio nomen habet pedibusque et dente pavendus.
 Fabula cornipedum priscis cantata poetis 315
 Cedat, ad hunc minor est aliis laudatus Arion;
 Cyllarus Aenomaïque greges et Pegasus ille
 Martis equi et Teucro currus quaesitus Achillis.

Tum vero, ut primum tergo consueta locavit
 Membra, pavet sonipes, stimulos neque sentit et irae 320
 Abnuit et domini tunc primum iussa recusat.
 Cum tremarent alii, fervens Galeatius iras
 Haud lenire potest, nec territus omine velox
 Desilit et medius decernere numina poscit.
 Cervinum mutavit equum, nec degener ille 325
 Promptus agit dominum seseque accendit ad iram.
 Mozio tum Piero Mariae mandatur agendus,
 Qui vir fortis erat paucis virtute secundus.
 Mox equites alii, quamvis numerosus equorum
 Ordo non aderat, verum peditum manus ingens. 330

Postico egreditur multis comitantibus heros;
 Omnibus instructis hic illi occurrit apertis
 Postibus horrescens factis, quae acceperat ante.
 Ille Dionysius Castello signifer almae
 Iustitiae et fasces habeat qui primus in urbe. 335
 Collegaeque simul; nanque hos audita tumultus
 Mentio terruerat pavidosque avidosque salutis.
 Dexteriore via — non qua insultaverat hostis —
 Corripiunt sese — Pratellum nomine dicunt.
 Inde ad gymnasium veniunt celeranter hiberum. 340

Hos et centurio Guido consecatur et ambo
 Legati socium populorum ex urbe marina:
 Tarvisius Zacharia, comes de stemmate Tusco
 Donatus, gentis teneat qui a nomine nomen.

Sed Guido Gallasius cuneum ducebat inermem. 345
 Ergo Dionysius, foret in quo summa potestas,
 Ut vidit foribus venientem adiunctus amore
 Ac simul agnatus: Heu, tu, quo tendimus? inquit.
 Quae tibi mens superest? Fugimusne? Anne imus in hostem?
 Hic animo praesens: Salve, pater, inquit, et ira 350
 Imus in adversos, tamen hos quid habetis inermes?
 Restant arma domi, iubet his simul arma parari
 Adiungitque suis; sic maiestate reperta
 Viribus atque animo stimulatus in ordine recto
 Descendit quosdamque iubet praecedere cautos 355
 Atque manu promptos et ad omnia bella paratos.
 Inde magistratus medios locat, ipse retrorsum
 Assequitur et saepe praeit, saepe agmine toto
 Decurrit, ne quid veniat, quod euntibus obstat.
 Sic prior inque forum fretus descendit et illud 360
 Firmat; ibi Pierus constans equitesque parati,
 Qui mercede data populi pia iura tuentur.
 Calvus ad hunc:

O fama ingens ingentior actis,
 Haec lux una tuum mundo firmabit honorem.
 Advigila et partes reprime in scelus omne ruentes, 365
 Hunc defende locum, populus dum surgit in arma
 Idque magistratus cupiunt, quos cernis adesse.
 Accipit et lachrymis auctorem accendit amicis,
 Hannibalem et fratres caesos qui noverit ante.
 Inde magistratus repetunt fidentius arcem. 370
 Ille rapit solos equites paucosque per urbem
 Clamitat, implorat, rogat, invocat, urget et instat,
 Hannibalem et fratres vivos ait hoste teneri
 Inclusos et opem populi expectare suamque,
 Quam, nisi festinent, nullam post pauca futuram 375
 Momenta et populi cadet ille ornator et ultor
 Et libertatis solidae compertor et auctor. —
 Asserite ergo patrem tumidisque obstate tyrannis.

Talia per vicos, per compita perque plateas
 Saepius et magnis iterata doloribus ultro 380
 Pervellunt animos, multi egrediuntur inermes,
 Aere suo quos armat agens et mittit in hostes;
 Multi etiam armati paria ad portenta trahuntur.

Canneduli astuti pridemque ad bella paratas
 Auspiciis venantur opes firmantque superbis 385
 Obicibus portamque novam portamque propinquam
 Castelli, intra quas pugnatur cominus armis:
 Acrius in porta castelli pugna laborat.
 Hic totum belli certamen et invidus error
 Conteritur, volitant hastae, tum saxa, sagittae; 390

Glandula fulmineis emissa furoribus illic
 Funera multa dabat, illic Malvetius Hestor
 Glande perit multumque etiam sine nomine vulgus.
 Strataque corporibus medio e certamine tractis
 Porticus illa Petri templi venerabilis urbe 395
 In media; crescit furor undique et undique vires
 Agglomerant fremitusque ingens gemitusque cadentum
 Et fragor armorum bombique per aera missi
 Terrificant animos et mutua vulnera nectunt.
 Pars scelerata suis excitas sedibus omnes 400
 Contulerant vires et pro se quisque furorē
 Miscebat; praesaga mali mens intus agebat.
 At parte ex alia dolor et iustissima causa
 Curaque maior erat scelerisque infensio et artis
 Copia, Mars etiam stabat violatus et ultor. 405
 Et iam Virgilius audito funere fratris,
 Iam Lodovicus adest Karolusque et maior Achilles
 Morte ferox fratris pugnas impellit et instat;
 Blançelli generis decus et laudabile lumen
 Karolus his aderat praeclarus et utilis armis: 410
 Illi autem obnixa et certi non cedere perstant,
 Funera multa ferunt, faciunt non pauca furentes.
 Hic mentem Calvo Pallas dedit, ut memor artis
 Parte alia invadat structos solvatque phalangem.
 Et iam Phoebus equos devexo inclinat Olympo. 415
 Ergo ne in noctem pugna extendatur, anhelus
 Provolat in plateam Galeatius atque ibi paucis
 Pieron alloquitur, equites qui ad bella paratos
 Iam dudum servans expectat signa, monetque
 Hunc, ut circuitu longo a regione remota 420
 Carpat iter templumque petat tibi, dive, sacratum,
 Francisce, atque aditum rimetur et arte latenti
 Irruat a tergo productus et agmina turbet;
 Ipse alia ratione simul secum ibit in hostes.
 Ergo sibi interea comites delegit amicos 425
 Expertos belli tenditque repagula tota
 Solvere, porta quibus nova custoditur et obstat,
 Quae superasse via est certissima laudis honestae,
 Magnus honos, vitae lux et tutela futurae.
 Votaque non fallunt, virtus neque deficit, uno 430
 Nanque expugnato per magna pericula rursus
 Obstitit in poste anxietas non parva secundo.
 Nec sine caede cadunt haec bina repagula, post haec
 Septem alia obstabant, sed tantus terror ad hostes
 Venerat, ut parvo superentur cuncta labore. 435
 Ventum erat ad calles, quos illi poste carentes,
 Ut tutos ullo sine robore gentis, amice

Credebant damnis aditum non esse daturos.
 Hac se igitur victor conspectis viribus auctus
 Ingerit inde foras venturum in terga furentum 440
 Constituens, sed turba omnis, quaecunque fugata
 Ante fuit pervicta novemque obstacula supra
 Diximus, obstiterat densis stipata manipulis;
 Arma movent vitamque volunt pro laude pacisci.
 Nam mora sola haec est: quae si expugnata fuisset, 445
 Nec via consilii, nec spes foret ulla salutis:
 Acriter insistunt igitur, mox tecta domorum
 Pondera dimittunt et grandia saxa fenestrae.

Sed tot in adversis, quanquam per vulnera pressi
 Ponderaque alta, viri sub Calvo teste furentes, 450
 Et quos ante domi tenuit quosque auxerat inde,
 Incumbunt, necdum veniebat ductor equorum
 Francisci a templo, ceu dictum in terga, sed ille
 Iam iam signa dabat tubicenque ante ora fremebat.
 Concitat ergo suos operique accendit et ipse 455
 Iratus ruit in medios quosdamque trucidat,
 Obice disiecto non ausi absistere contra
 Pulsi terga dabant hostes, nanque impete tanto
 Non homines, non arma queunt, obstacula nulla
 Sistere: franguntur densique in terga recedunt. 460

Ingruit interea lateri expectatus aperto
 Ordo equitum, miseri pereunt abeuntque fugati
 Et frons illa ruit, restat frons altera maior.
 Ergo in terga ruunt clamore in sidera misso
 Pierus et Calvus pariter comitesque secuti. 465
 Saepius hos memini, sed et hic splendentia facta
 Iannesius Michalusque ferunt et vividus armis
 Hic Baptista furens Volta diffulminat et se
 Concitat in medios ardens. Tum denique victi
 Canneduli excedunt pugna lateque per urbem 470
 Galleriae secreta petunt multique relict
 Vulneribus pereunt, alios fuga noxque redemit,
 Evadunt portis alii spesque ultima rerum
 Destituit.

Calvus memor una ab gente malorum
 Semina tanta dari belli excidiique frequentis 475
 Victores equites ultro in sua iura remittit.
 Ipse monet socios: Iacobum, cui nomina Lino
 Sunt data, cumque illo praesentem Gaspara patrem
 Malvetium iuvenum ipsosque ad verba paratos:
 Cannedulos, si qui superant a stirpe, trucidant. 480

Consilium placet. Ergo ruunt ad limina clausa
 Et quae vindicibus paucis servata tenentur.
 Nec datur ingressus; furor ergo forinsecus ignem

Advocat. Iniiciunt huc sulphura trita nitrumque.
 Illicet ignis edax consumpsit limina et illi 485
 Quisque fugam sibi temptat iners, quibus ante tuenda
 Credita magna domus.

Baptista horrente cloaca
 Inventus; per vim tractus, quacunque lateret.
 Hostis in arbitrium populi delapsus et ipsa
 Compositus platea, post vulnera fertur in ignes. 490
 Nescio, quid superans de corpore mansit inustum
 Idque suum fama est consumptum dentibus isse
 In ventres. O gens infausta, hic exitus illum,
 Qui tot damna dedit populo, mors ista manebat
 Post profugos hostes, post tecta incensa datumque 495
 Ignibus illorum dominum et deforme cadaver
 Et crudelem animam detrusam in Tartara, quanquam
 Necdum tota lues servata excesserat urbe.

Insomnem noctem peragunt, quicunque labores
 Non tulerant pridie tantos, ut dulce liceret 500
 Otium et optatam membris donare quietem.

Multi igitur vigilant, at non Galeatius, illa
 Qui sub luce nimis durisque laboribus arsit
 Quique caput belli fuerit ante suorum
 Anxius aspexit caedes, qui obsessus in aede 505
 Pugnavit patria, qui vindex ante refovit
 Corda magistratus solitamque reduxit in aedem
 Firmavitque suos totaque vagatus in urbe
 Contraxit vires solusque pericula cuncta
 Sustinuit multosque die dimisit ad umbras, 510
 Cuius ob ingenium Pierus equitesque vocati
 A tergo subiere hostes, qui obstacula cuncta
 Rupit et hic etiam plures virtute peremit
 Solvit et ora viae, fregit quoque funditus hostem.

Haec sunt illius non omnia facta diei, 515
 Quae, quicunque leget, multorum gesta putabit.
 Ille igitur requiem consultam cepit, at isti
 Divisere vices totamque exacta per urbem
 Cura vigil, ne quid novus ulla ex parte resurgens
 Ignis agat referatque malos vis ulla labores. 520
 Mox alii vicibus, circumvaga turba, per omnes
 Emissi speculantur et invia quaeque pererrant,
 Ne quid in occulto scelerisve dolive iaceret.

Nox tamen illa brevis luctuque iraque metuque
 Sic exacta diem fugiens referebat ab ortu.
 Et minor omnis erat formido et cura resurgens
 His, quae restiterant, peragendis. Omnia iamque
 Tecta patent et eunt stratis in publica plenis
 Consilium summis capturi in tempore rebus,

Instabant quia multa viris, sepelire iacentes, 530
 Rem formare novam depulsis civibus urbe,
 Obstare et formam rerum instaurare quietam,
 Vulnere multorum curare et stringere passim,
 Consulere, ut ne quis remaneret turpis in urbe,
 Neu quis iure bonus lueret peccata malorum. 535

Haec properanda viros et maior cura tenebat
 Hannibalis, partem Calvum sine honore iacentum
 Hestoris et pariter ipso in certamine mersi.
 Haec propter patrum primos populumque sacrosque
 Undique compellant; ritus sollemnis ab omni 540
 Parte agitur totisque in funera honoribus itur,
 Bentevoli primum, quod adhuc tellure cadaver
 Porrectum iacuit sub noctem, in tecta relatum
 Mane ornant. Primus Romeus Pepulique vocati
 Adsunt, mox alii varia de gente clientes, 545

Quos inter circumfusus ita Romeus infit
 In medio positum corpus capulumque remirans:
 Tunc ille Italiae splendor? Tu lumen honorque
 Gentis et afflictæ patriæ lux unica? Victor
 Gallorum domitor felix? Utcunque tyranni 550
 Et libertatis nostræ iustissimus auctor?

Haec tibi pro meritis pulchrisque laboribus, heros,
 Praemia dant cives? Quos atro a carcere solus
 Exemptos in honore pari tecum esse tulisti?
 Qui tibi iurarunt votisque tuæque salutis
 Cura, opera, studio non defore? Perfida, cruda,
 Immanis soboles, dira, impia, pessima truxque
 Nullane te potuit sancti reverentia veri
 Vincere? Sic pariter divina, humana profanas?
 Forsitan et fato generis sors ista superno 560
 Debita consilio est iuvenes occumbere ferro
 Bentevolos etiam, quorum est innoxia vita,
 Cumque ipsis fatum patriæ variare tenorem.
 Insubrum ducibus urbs haec concessit avito
 Funere; pontifici pater est occisus ibique 565
 Libertas cecidit, quam perdita castra reducunt.
 At patrum, pugna dum dimicat, hasta peremit.
 Tu modo fortunam nobis spondes meliorem,
 Cum deus exclusit gentis commissa dolosæ,
 Patria nanque tui modo sanguinis imbre redempta est 570
 Primaque lux caesum, nox te non vidit inultum.

Inde ad finitimi Iacobi sanctissima templa
 Busta ferunt, tumulo sacer ut condatur avito.
 Romeus hic iterum, cunctis abeuntibus inquit:
 Salve supremum, vir maxime, semper et urbis, 575
 Ut solitus vivens, et nunc tutare salutem,

Nam non a Christo longe tua fiet imago;
 Supremumque vale. Nos hinc in caetera damna
 Imus et officio rebus non deesse gravatis.

Bornius inde Sala, tum Melchior inter amicos 580
 Et qui mente boni Calvis carique clientes,
 — Malvetii quoniam prius in sua busta relatum
 Hestora contulerant, — ast ii tria corpora fratrum
 Calvorum referunt, quo sunt servata sacello;
 Compositum iuvenum primum de more cadaver. 585
 Bornius et pompa medius sic ore profatur
 (Auctores iuris aderant, solatia patri):

Invida terreno nimium fortuna favori:
 Prosperitatis iter transversa intercipit et nos
 Ludit et optatis cogit non fidere rebus, 590
 Cernitur eventu longe admirabilis isto.

Hunc Lodovicum omnes insigni prole beatum
 Antehac laudabant, quod quattuor omine magno
 Nutrisset natos forma et virtute micantes.

Horum praeterea pridem laudata per urbem 595
 Vidimus exempla et cives sine fraude futuros
 Egregios, urbana quibus res omnis et omne
 Ius foret in cura, non quenquam laedere, cuique
 Prodesse et laesos studio relevare, furentes
 Reprimere et duros excludere ab urbe tyrannos. 600

Maiestas inerat cunctis quasi regia, lingua
 Utilis et verbis adiunctum mentis acumen,
 Fama favens; at nunc scelerata fraude peremptos
 Cernimus et tanta de spe cecidisse parentem,
 Qui quanquam gravis est et eum sapientia firmat, 605
 Praeterea ingenium et longa experientia, rerum
 Usus et in tanto magnum est constare dolore,

— Constat enim fulcitque senem praestantia mentis, —
 Hoc etiam, saevum, quia sit nec fraudibus, hostem,
 Si quis adhuc superest, gaudere in tempore et inde 610
 Non gavisurum, si qua est pia cura supernis.

Maxima res facta est pro libertate reducta;
 Non aegre patitur natos cecidisse, nec orbem
 Se putat et vivit fratrum clarissimus ultor.
 Haec iactura gravis, sed vir doctissimus atque 615
 Principio his ludis exercitus omnia perfert

Invicte atque alios omnes compensat in uno,
 Cui debetur honos tantus, cui gloria rerum
 Factarum et sine quo victoria nulla fuisset,
 Vix ut tota satis res illi publica possit 620
 Sufficere in pretium, quod non petit ille, laborum;
 In commune bonus parat atque pericula perfert. —
 Vos igitur iuvenes animae feliciter usae

Lumine mortali, quas nunc iniuria misit
 In caelum ante diem, iustos capiat honoros 625
 Et libertatem defendite sanguine fuso.

Quae quaesita viris fratrique, augete coronam,
 Qui vos ante diem clausum sit fortiter ultus.

Et iam pompa frequens aderat ritusque sacrorum
 Integer et properant solemniter omnia, tandem 630
 Dominici ad templum dantur post sacra sepulchris.
 Et iam tempus erat, dubii quo cura laboris
 Surgeret et vivis etiam sua iura paterent:
 Iura sepulturae iam totam exacta per urbem
 Publica privataque incumbunt pectora mole. 635

Nec minus interea ferventes sanguine et ira
 Disquirunt, an adhuc quisquam superaverit hostis,
 Qui nondum emissus damna in communia vivat.
 Scrutanturque domos dubias et praemia ponunt,
 Quisquis ad occasum latitantem ostenderit hostem; 640
 Tum, qui non faciat, doleat peccata suumque
 Fatum ac alterius vitio se credat agendum
 Esse reum. Plures inventi errata suorum
 Lugent et multi ceciderunt crimine digno,
 Nec clades hodie minor, ac hesternae fuisset: 645
 Corpora tercentum vel plus cecidere per urbem. —
 Nec vacat, a quo quis mactetur, dicere; durum
 Id foret et rabies non omnis in ore legenda est.
 Iam satis atque super scelerum fraudisque relatum
 Et iam fine suo virtus expressa virorum. 650

Haec ego dum canerem, vox est exorta, sed unde,
 Non erat in facili, mirum, nisi Musa iocose
 Hanc dederat vocem mirata Polymnia tantis
 Interiecta sonis, quod femina nulla legatur.
 Vox erat: 655

O nostri nimium facte immemor, omnem
 Dividis hanc maribus famam, nil femina tecum
 Proficit et poteras non longe exempla petisse.
 Proponenda aliis mulier, nam si qua beatis
 Est aequanda viris, mirum, nisi protinus haec est:
 Prima colit Calvos felix matrona penates, 660
 Quae Katharina sui lux est et gloria saeculi,
 Par virtute viro; nec enim vir maximus artes
 Aut opera aggreditur, ad quae non uxor euntem
 Adiuvet, accendat monitis, confirmet et armet:
 Nec metuit vanos refugitive aversa pavores. 665
 Nam luce hac, damni quae tanti exordia fecit,
 Incidit a templo veniens, ut forte redibat,
 In tres germanos praedicta in caede natantes.
 Quos ibi compositos, ne quis non apta iaceret,

Ornavit; post haec spirantem Tydea supra 670
 Atque animae quicquam servantem constitit usa
 Officiis verbisque piis, nec terruit illam
 Effera vis rapidi simul et violenta latronis,
 Qui peteret spoliū raperetque monilia collo,
 Qui manibus passis etiam ornamenta tulisset. 675
 Spernit opes mulier, maior quam cura premebat.
 Inde domum veniens erectum a clade maritum
 Commonet, accendit, recreat, solatur et armat.
 Nec dat signa foris, nisi voti animique ferocis.
 Nec tamen egreditur memor officium muliebre, 680
 Nec fugit a sexu, sed, quod valet, hoc ea summum
 Efficit et studio duplicat quacumque laborem,
 Nec maiora petit, nec munera parva recusat,
 Nec sedet illachrymans et nulla pericula vitat.
 Illa modo egressis, quos vir sibi in arma trahebat,
 Occludit postes firmatque repagula magnis
 Viribus; hic primas, summas hic aspicit aedes.
 Prospicit atque parat, quae sint ventura per usus:
 Nunc redit ad socerum, fovet et solatur egentem;
 Nunc onus assumptum transfert in tecta propinqua 690
 Fida tamen; pueros nunc occulit; omnia caute
 Postico et gradibus positīs nunc intrat et exit.
 Omnia demum implet curis factisque pudice
 Officia et fortis quantum sors dura sinebat.
 Mox redit ad pueros, socerum mox una revisit, 695
 Integra, magnanima gaudetque laboribus inque
 Tanta mole operum progressa in sidera mente
 Supplicat, ut iustis aspirent numina votis.
 Forma ardens virtute ferox actuque benigna
 Nec sibi blanditur, nec deest ad iusta roganti. 700
 Prospera non tumidam, non fractam adversa videbunt.
 Hanc videant fatuae, quibus est cura omnis is una
 Desidia et cultu nimio, quibus una voluptas
 Ludere et oppositum semper sentire marito.
 Haec et quindecies fecunda et prole beata, 705
 Laude super cunctas facilis, facunda, iocosa
 Et prudens operum cumulataque dotibus almis,
 Undique digna viro, simul hac vir coniuge dignus. —
 Haec tu transieras et erant ea carmine digna.
 Scis, dea — respondi, — mentem mortalibus esse 710
 Raro parem superis; vos omnia cernitis uno
 Momento, at nobis vix pervia pauca patere.
 Ob rem pauca damus, sed et id cum numine vestro.
 Res audita duces, tantorum causa malorum
 Maxima qui fuerat, stimulis ardentibus angit 715
 Flebilibusque modis quando ad se currere pulsos

Bononia videt auxilia et deposcere amicos,
 Ob rem multa fremens animo furia¹ acerbo
 Volvit et accitos ad se, quos causa requirit,
 Expediant sua signa, iubet, gradibusque citatis
 Bononiense solum vexent, quaeque oppida restant
 Nondum victa, ineant agitentque furoribus urbem.
 Bartholomeus ad haec dux maximus ire iubetur;
 Iamque aderat finesque novus temptaverat hostis,
 Res ea turbarat cives trepidique queruntur.
 Fortis et ad patrem sic est Galeatius orsus:

720

LIBER IV.

Nulla quies igitur nostris erit obvia rebus,
 Care parens? Omni semper de turbine surget
 Turbo recens? O iam felices funere fratres!
 Haec mea sors gravior, cui sedulus ordo laborum
 Imminet et nunquam conserta pericula parant.
 Civibus exclusis iis, quos adversa tenebat
 Seditio, rebar pacem restare quietam.
 Id secus est, muris externus et ingruit hostis
 Et per aperta vagus populatibus omnia miscet,
 Quis modus? Aut quid iam superest? Ego solus in armis
 Semper ero? Nunquam iocunda pace fruemur?
 Invideo, germane, tibi! Lux illa suprema
 Me potius premeret, me ferrum hostile petisset!
 Tum genitor:

Suprema mihi, servate, voluptas,
 Nate, quid in furias ageris? Tantane malorum
 Mole caput premitur, ut eas in taedia vitae?
 Quae si non aliam causam pietatis haberet,
 Me ne desertum faceres, optanda fuisset;
 Insuper ut patriae, quae meque tuosque tenebit,
 Ne videaris opem solitam lumenque negare,
 Denique templa, deos, socios, ingratus amicos
 Fallere supremis et abesse laboribus urbis,
 Quae te sola vocat, solo suspirat in uno,
 Cuius ope atque opera pridem servata revixit:
 Huic tu crudelis curam officiumque negabis?
 Nec venit in mentem, quod fratrum prima tuorum
 Debita, quae patriae servandae opera atque labores,
 Cesserunt uni, qui sis e gente superstes?
 Nec decus illorum, nec te tua gloria lassum
 Esse velit, pulchris vivum et desistere rebus.
 Forsitan et superi, pridem qui multa dederunt
 Et dare plura parant, hac te, mi nate, redemptum
 Iusserunt causa, foret, ut qui tristia bella

20

30

Quique supergressos quiret tolerare labores,
 Praesertim res dum tenerae et sine robore vires 35
 Non cepere suas mox praemia celsa daturi.
 Tu modo servatum levis indignaris honorem?
 Et malles tibi non uni, sed dulcius ullo
 Cum consorte datum? Longe mihi dissimilis mens,
 Nec placet alterius iungi mea facta labori. 40
 Sed decus esse meum, mentis quo robora quove
 Corporis accedunt vires, nec vivus et audax
 Dividere in plures, qui malit laudis honestae
 Praemia, si solus queat exhaurire laborem.
 Multa prius, fateor, gessisti et magna, sed ultor, 45
 Sed mihi, sed patriae. Superest, quod munus agatur
 In commune tuis, illi quoque et omnibus aequum.
 Haec tibi cura datur, quod adest, qui spondeat, alter
 Nemo satis, modo tu clarum ne linque laborem,
 Qui non longus erit, fors intolerandus et hosti. 50
 Nam cum bella premant Venetum, nos denique missos
 Fecerit et tantis par non erit undique rixis.
 Vicisti primos, vicisti, nate, secundos,
 Tertius hic superest ex longo ardore tumultus.
 Huic modo terga dabis, qui fert tibi, nate, coronam?
 Turpe erat initio cadere, at nunc turpius omnem
 Spem fraudare datam vel perdere laudis honorem.
 Nec tibi, quod fratres absint, praestare minora
 Iuverit officia, immo unum pro fratribus esse,
 Fratribus immo unum totos implere labores. 60
 Quae fortuna parat, dona haec ne spreveris, urge
 Fortunam potius, te nosque attollis in astra
 Et testare tuos non vi, sed fraude subactos.
 Dixerat et iuvenis tactus genitoris amore
 Consilioque recens redit ad praeclara resumptis 65
 Viribus ac sese rebus partitur honestis.
 Hinc firmare suos, hinc hostibus obvia ferre
 Arma, simul patriae conquirere commoda; quippe
 Tot bellis, tot dissidiis, tot quassa ruinis
 Publica res opibus caret atque incommoda crescunt. 70
 Magna haec, sed maior nostris obiecta periclis
 Culeo causa venit, qui, tanquam vinceret hostis
 Nostra sibi, nunquam cessat, quin nocte dieque
 Cursitet in portas, muros circumsonet armis:
 Vir ferus et nulla victus pietate vel ira.
 Magna est in patribus dissensio, quatenus illi
 Obstetur, mussant, possint quem ponere contra
 Mansurum — et solus Galeatius obditur illi.
 Nec bis terque malum hoc illum comitesque fatigat,
 Sed plerunque una bis terve in luce recurrunt. 80

Vulnera multa ferunt, nec abit sine sanguine victor
 Hostis ab insidiis quanquam praestantior urget.
 Noctibus hic etiam duros quandoque tumultus
 Concitat et non est numerum repetisse laborum,
 Nec breve tempus in haec discrimina vertitur, intra 85
 Urbem etiam positis castris sua tecta relinquunt
 Atque hortos plateasque tenent et templa deorum
 Armati, ad subitos possint ut adesse furores
 Tempore quo plures, ne qua otia rébus obesse,
 Sola munditiae nudarunt corpora semper 90
 Vestiti, ne qua ingrueret violentia et iidem
 Armati somnos capiunt epulasque merumque,
 Armati curant et vulnera. Qualis in illo
 Et status et requies urbis foret, excute tecum,
 Haec quicumque legis, mihi nanque miserrima visa est. 95
 Precipueque ducis, qui nocte dieque vocatus
 Circuit et nullo finit sua coepta labore.

Sex haec exierant iam mensibus, undique cives
 Fessi deficiunt et vulnera multa premebant,
 Unus et in tantis restat dux integer actis. 100
 Non quia vitaret pugnas: nam primus in omni
 Turbine concurrit, nec tantum pugna dierum
 Excitat hunc, sed praesidiis effusa per agros:
 Ne pereant messes, turba hunc plebeia fatigat.
 Tot tamen in pugnis tantisque laboribus ille 105
 Integer et vivax mansit, — mirabile dictu —
 Credo per auxilium patriae indulgente Minerva.

Iamque malum non Bononiam solam afficit, immo
 Tangit et adversos Insubres, acrior hostis
 Insultat Venetus traiectaque flumina nullas 110
 Effecere moras et campo liber aperto
 Fulminat et pavidos ubicunque incursat agrestes.

Dux igitur cernens clades et damna suorum
 Cogitur extremis revocare a finibus omnem
 Militiam, ut validis opponeret hostibus agmen; 115
 Culeoque auxiliis prior expectatus et ire
 Iussus abit fessisque aperit spiramina rebus.
 Non ea longa quidem, verum opportuna locoque
 Commoda. Mox se alius, sed lenior intulit hostis,
 Ferratus Guglielmus; at hic minus asper amansque 120
 Nominis et grandi qui protinus aere repulsus,
 In partesque operum Veneti Lidique fuerunt.

Otia respiciunt paulatim optata, repente
 Ni se collectis latrunculus impiger atrox
 Anguigeroque gerens morem furialibus ausis, 125
 Viribus aequales traxisset in arma catervas,
 Excitus infernis rueret Franciscus ab oris

Bononiae fines agitans agrosque quietos
 Desertorque novas traheret prope perditus artes,
 Ingenio bellator atrox dextraque timendus 130
 Et qui splendoris cupidus sibi nobile nomen
 Arroget et malit se Gambacurta vocari
 Samodiam vallemque premens incursibus omnem.

Haec mala cum primum patribus quererentur agrestes,
 Quaeritur et non est aliquis, qui pondera tanta 135
 Appetat et rursus Galeatius actus in arma
 Militiam comitesque legit. Iannesius ultro
 Primus adest et, qui nunquam ductore sub illo
 Arma pavent, alii, quibus est praestare sub armis
 Officium et duros mos est perferre labores. 140

Accipit a patribus tanquam dictator honorem
 Imperiumque tenax et quae monimenta docerent,
 Ne quid in eventum, quod portio quaeque valeret,
 Absit et omnis ager victori appareat illi,
 Praesto sit. Antiqui memoratur gloria facti 145
 Samodiaeque locus generi fataliter illi
 Servit et inde suis maioribus orta diuque
 Gloria vulgata est Marescottusque superbos
 In convalle viros fregit lateque cecidit.

His instructus abit, comites ex urbe frequentes 150
 Quingentos rapuit pedites equitesque secuti
 Quinquaginta, quibus ductor sit clarus et ingens
 Braccius, antiquum Perusino a sanguine nomen
 Qui trahit et meritis Baionibus addit honorem.

His ita compositis Phoebo vergente recedunt 155
 Oppidaque in noctem tenuerunt sacra Ioanni.
 Illa quies data prima viris, qui luce reducta,
 Cum semper numerus concresceret, inde profecti
 Occurrunt aliis, quos Manzola rura domusque
 Armarant eademque iniuria pestis agebat. 160
 Undique concurrunt numerus, sic gurgite parvus
 Fonte cadit primo Rhenus, tum vallibus ortas
 Accipiens vires maior descendit in arva,
 Saepius et pavidos auctu prosternit agrestes.
 Octingenta super deterso corpora ferro 165
 Lucida procedunt, nec adhuc Bazanus apertas
 Iunxit opes; et erat locus hic infensor hosti.

Lux cadit et mediis nox est haec credita campis;
 Et iam mane recens puro fulgebat ab ortu.
 Nec mora: festinus dux increpat, ipse frementi 170
 Circumvectus equo laetis clamoribus ultro
 Concitat; at quadrupes, veluti praesaga futuri
 Signa daret, Pogius hinnitibus aera findit
 Egregius spadix placidusque et pectoris sensus

Praecipiens domini; nam si credenda vetustis 175
 Fabula, ceu Macedum fortunae regis ab alto
 Bucephalus provenit equus, si Caesaris inter
 Tempora natus is est, hominis vestigia plantis
 Quem dicunt habuisse suis, si rebus acerbo
 Tempore Teucrorum Mezentii iussa secutus. 180
 Quid mirum Pogium Calvo inseruisse potenti?
 Hic tum bella regit, qui concitus inde per ora
 Clamitat:

O socii, iam rumpere tempus in hostem,
 Si nomen fas est hostis meruisse latronem.
 Desertor fidei, Francisce, o proditor, o vir 185
 Perfide, tunc meos etiam experiere furores?
 Expecta, efficiam, ne quem post proelia fallas,
 Sed miseret comitum, quos hinc atque inde ruinis
 Ferre potest insanus amor bellicque tumultus.
 Atque utinam solus me solum in bella vocares. 190
 Quanquam fido deos modo causas Martis honestas
 Et partes curare pias, ut nulla sequantur
 Damna, sed et virtus operum sibi consulat ipsa.

Haec fatus dat signa viae celerique volatu
 Aspiciunt turres Bazani et montibus altis 195
 Egressos properare viros, quos nota vocabant
 Auxilia in partes, descendunt forte ducenti
 Hique ad bella pares, nam caetera turba canistris,
 Urnis ac modiis adsunt, cerealia dona,
 Vina cadis et farra sagis aliudque ferentes, 200
 Quo se turba ferox recreat, mox rumpat in hostem.

Et iam compositis pedites equitesque duabus
 Procedunt ad bella viis, modo copia detur.
 Pars in plana data est, pedites equitumque manipuli,
 Caetera per montem legio progressa secundum 205
 Porrectam vallem spatiis non grandibus ibant
 Subsidiumque suum cuique est post terga relictum.
 Ut venere locos, ubi tendere vela solebat
 Franciscus, deserta vident et in ardua montis
 Effugisse viros ablataque commoda pugnae. 210
 Castellum obsessum tunc obsidione soluta
 Gaudet et egressi coram venerantur amicos
 Officiumque suum spondent montemque Budellum
 Commendant ducibus hilares et iussa sequuntur.
 Ergo iterum iunguntur opes, quando obvisus hostis 215
 Non datur et cursu, quantum licet, alta capessunt.
 Ille sed in summum percussus nomine montem
 Territus exierat, nec enim Galeatius illi
 Ante ignotus erat. Omni legione redacta
 Flectit iter retroque cadens per devia montis 220

Felsineos fugiens Mutinensibus errat in agris.

Ut montis tenuere viri sublime cacumen
Et videre fugae vestigia nota, retrorsum
Signa movent animo tristi, victoria visa
Futilis et mallent bello et virtute peractum.
Talis ubi Rheno transmisso Caesar in agris
Germanos non inveniens, quos vinceret, inde
Anxius in Gallos vestigia lenta reflexit:
Qualis erat facies redeuntis et agmine toto
Murmur et in superum convicia crebra tonantem. 230
Denique compositi in turmas patriamque revisunt
Et vultu veniunt laetos imitante triumphos.

Et iam fama viri, nec fallax gloria patrem
Movit apostolicum missaeque ad tecta tabellae
Nicolai papae — Eugenio iam lumine functo, — 235
Ipsam ad templa vocant et sancta Palatia Romae.
Hic vir magnanimus rebus post terga relictis
Prospiciens ponensque modum comitesque parabat
Ornatusque novos, qui seque aliosque decerent.
Addit equos, addit famulos; instructus abibat 240
Ingresso iam vere vias factururus acerbis.
Garellus Iacobus socius pariterque Rodolphus
Gypseus, inde Bedorus et hinc Florianus aguntur,
Presbyter ille domo, verum hic e sanguine Calvo,
Iannesiusque simul Rocha, simul atque Ioannes 245
Pinacrus multique super, nec Maza relictus.
Viginti vectantur equis et quattuor altis.
Sex pedes est numerus iuvenum ad ventura paratus
Obsequia; egressi properant, nec tempore longo
Post montes varios, post flumina, saltus et urbes 250
Transmissas altae viderunt mœnia Romae:
Plurima Romuleos aperit lux acta penates.

Nox optata redivit, terris Aurora labores
Fataque fortunasque novas et sensa reducens,
His eadem, ast aliis multum diversa. Profecti 255
Bononia, quanquam mirati tecta virosque
Urbis et immensae vulgata pericula Romae
Imperiumque vetus patrum et veneranda sacrorum
Alloquia et turmas hic omni e gente coactas,
Plus propria acta premunt. 260

Et iam Galeatius alta
It fronte, ut sacras pastoris viseret aedes
Utque aditum faceret Christi viventis ad ora.
Id parat, id primum sequitur lucemque sequentem
Invenit huic operi studioque exire paratam.
Multa movent animo, multis concinna requirunt 265
Dieta et facta modis, quae sint in laude futura:

Nec novere tamen, ad quae peragenda petantur.
 Itur ad Atridem et pastor maximus ultro
 Clara fronte bonus nihil est cunctatus; eunti
 Acceptoque venit facilis. Tum plura benignus 270
 Offert atque virum trahere in sua vota laborat.
 Ille autem veritus tanti certamen honoris
 Fortunam meritumque supra pia dicta reponens,
 Pronus agit grates et, quae meliora, minoris
 Aestimat et falsus de summo vergit in ima:
 Tantus amor patriae, pietas ea sanguinis artat.
 At pater officiis maioribus urere mentem
 Aggressus, ne curta foret fiducia forti:
 Etsi lentus, ait, fortunae ad dona videris,
 Mente nec egregia raperis, quae sponte feruntur, 280
 Commoda ut accipias, titulo te ornare decoro
 Constitui et donare, quibus suscepta per aevum
 Sustineas; fors inde tibi praesentia surget
 Mentis et incepto veniat fiducia dispar.
 Definitque diem, quo iussus in ora veniret 285
 Exornandus eques toto plaudente senatu
 Munera laturus pulcherrima; flectitur heros
 Imperio divisque parat non deesse secundis.
 Qualiter Aeneas divae responsa Sibyllae
 Cum peteret, nisus post omnia dona peracta 290
 Arbitrium ducis expectans pendebat ab ore:
 Talis ad indictam pendet Galeatius horam.
 Dicta dies aderat; populi pars magna patrumque
 Pontificis de more domos, tecta alta tenebat.
 Stabat apostolicus late venerabilis ordo 295
 Et senior patrum chorus et pia turba ministrans
 Auleisque nitet locus atque tapetibus altis.
 Tali intus templo residens pater ille beatus
 Induci mandat Galeation; ille iubenti
 Promptus adest affusus humi sacra ora salutans: 300
 O sacra Nazarei facies, o publica rebus
 Catholicis primo demissa potentia caelo,
 Ut par est, affusus humi te servus adoro.
 Ante quidem ardebam, sed mens diffusa tenebat
 Ire ad conspectum hunc maiestatemque sacratam, 305
 Pastor dive, tuam, quod enim bellator et atrox
 Extiterim, permulta dabant, te ut, pastor, adirem.
 Verum, ubi litterulis sacra et pietate vocatus
 Essem, liberius multoque libentius ipsas
 Intravique vias supplexque ad limina veni: 310
 Expecto, quid sancta mihi tua iussa revelent.
 Praeterea genitor Lodovicus et ipse senecta
 Fessus et extremi metuens discrimina casus

Abs te, sancte, petit donata piacula culpae
 Ac poenae, ut tutos moriens intrare recessus 315
 Possit, et ipse tibi iam deditus atque dicatus
 Idque ego nunc supplex pedibusque affusus adoro.
 Et quoniam ipse fui bellis immixtus acerbis,
 Et permulta tuli, permulta pericula rursus
 Inieci adversis, — horresco dicere, — posco 320
 A pastore pio veniam finemque malorum.
 Haec sunt vota, parens, haec est mihi summa precandi
 Ad sanctos emissa pedes pastoris honesti.
 Arrisit pater ille sacer, tum vota benignus
 Excipit indultum tribuens natoque patrique, 325
 Haec super adiiciens:

Poscis non irrita, nanque
 Vita mihi nota est omnis, Galeate, parentis
 Vixque tibi magis est carus Lodovicus ubique
 Maximus atque aequi iuris clarissimus auctor
 Aequus et ipse probans doctrinae exempla verendae, 330
 Nec, nisi vim patiens, a iusto abiisse paratus,
 Fortis amansque boni, cautus metuensque deorum.
 Tu quoque, — nam propior nobis aetate fuisti, —
 Non malus inque dolos alieno crimine ductus,
 Cum prius officii sanctissima iura tulisses, 335
 Dignus eras venia, quam dedimus. Inde vocati
 Nostro te lateri coniungere vovimus, at tu
 Abnuis; opto tamen, fias mihi iunctior olim,
 Nec te poeniteat, nec me, si vota sequantur.

Caeteraque, ut pridem statuit, iubet ordine duci. 340
 Mox vero assurgens orator clarus et ingens
 Verba facit laudemque canit praesentis et illas
 Ob res pontificem ductum, nunc sponte vocatum
 Sperantemque nihil statuisse ornare decora
 Militia atque auro meritum donare diuque 345
 Ut queat in sumptus equitis fortuna manere;
 Addere opes alias, nam gens ea nobilis ante
 Casibus ex variis, civilibus obruta bellis
 Attenuarat opes, virtutem extenderat ample.

Finis erat verbis. Iurat solemniter heros 350
 De more ac tactus, spinter, calcaria et ensem
 Accipit auratus donativumque quotannis
 Cernitur, in redditus munuscula plura parata.
 Sed quod erat maius, sine re ne nomen haberet,
 Insuper huic donat castellum nomine Ocellum, 355
 Quod dirimit ius pene pari discrimine et inde
 Ferrariæ finem crassisque paludibus urget,
 Bononiense solum supero de margine claudit, —
 Huius item tabulas bulla pendente relatas,

Quae testentur eum gratis haec dona referre. 360

Ille quidem patriam mavult et pignora cara
Visere, sed pastor mallet consistere apud se
Tutelam rerum curatoremque salutis
Armorumque caput frenatoremque furentum.
Et si mens hominum divinas colligat artes, 365
Hoc fuit utilius. Rebus tamen ille relictis
Eximiis grates agit et vestigia retro
Observata legit patriamque refertur in urbem.

Nec non et cives audito nomine laeti
Occurrunt pompa celebri et gratantur eunti. 370

Ille etiam obscuros quosdam, qui laeta favore
Signa darent, intus tanta incrementa dolerent,
Blandius alloquitur, caris amplexibus ambit
Atque his precipue felicia facta renarrat,
Quo vel conciliet, vel decoquat acrius illos. 375

Moxque decem pueri fecundae gloria matris
Obvia turba patri procedunt: Maximus horum
Est Agamemno, patrem primus qui fecerat, alter
Theseus insignis forma et florentibus annis,

Tertius ille ferox formaque invictus Achilles, 380
Quartus ab Herculeo nomen sortitus honore,

Quintus erat patruī dictus de voce Ioannes,
Sextus Iasonium referens splendore decorem
Tydeus, Antenor tum septimus, inde Laconum
Ab rege octavus venit Agesilaus, abinde 385

Pulcher et egregius formaque insignis Iason,
Scipio postremus; piget enumerare puellas
Et quibus ante diem fata invidiosa fuissent.

Hi bis quinque patrem venientem occursibus ultro
Excipiunt: hilares pueri blandique salutant. 390

Aspicit hos genitor gaudens et semina gentis,
Quique diem functi, veteres agnoscit in illis
Totaque pompa suos et se miratur in iisdem

Et maiore modo patrem complexa tuetur;
Gratatur veniens, arridet turba favetque, 395

Non Alcibiades patriae cum redditus ira
Deposita aut noster magnus post Pontica victor

Regna triumphalem conspectior intrat in urbem
Obliquasque ferit mentes: O culpa maligni

Sanguinis, alterius cur quisquam insultat honori, 400
Qui tremere et pulchros nolit tolerare labores?

Pessima mortali tabes inserta pudori.

Utque Lares tenuit, splendorem exercuit aptum
In quoscunque hilaris convivia laeta resumens.

Proxima coniunctis data tempora; publicus ordo 405
Instauratur et hic medius sua commoda curat.

Exponit, quae facta forent, quibus ipse beato
 Pastori meritis, quibus et per saecula donis
 Obstrictus, quae plura volens donanda reliquit
 Castellumque petit, cuius monimenta tulisset. 410
 Caetera componit, requies post illa secuta est
 Otiaque invidiam populi movere deorum.

Rursus bella fremunt hostesque furoribus instant
 Et placandus erat pastor, ne staret in ira:
 Nanque illo mandante vagi per nostra furebant 415
 Iura equites, densos et Mantua miserat hostes.
 Deficiunt patres, nemo est, qui coepta salutis
 Aut reperire queat, sive integrare reperta.
 Nec cessare sinunt iniecti finibus hostes
 Totque oppressa malis languebat curia, nullae 420
 Apparent artes. Ubi tum sapientia gentis
 Nota? Silent omnes. Galeatius ergo paventes
 Confirmat patruumque rogat mandata subire
 Pontificemque sibi cupere ac sperare benignum.
 Ille refert: Faciam, si tu mihi vinctus eodem 425
 Pressus honore venis et limina sancta revisis.

Erubuit dicto Galeatius et tamen inquit:
 Haec si nostra salus poscit, non deero saluti,
 Si placet hoc aliis. — Ea vox audita levamen
 Mentibus exhibuit, fiunt decreta senatus. 430

Ergo Dionysius Castello et Calvus ad ipsum
 Pontificem missi capiunt monimenta fidemque
 Instructique vias ineunt Romanaque tecta
 Quamprimum celeri tendunt intrare volatu,
 Iunior et quoniam Galeatius ordine dextro 435
 Praemittitque senem sequiturque iubentis honorem.
 Nanque senex sapiens, facundus et urbis amator,
 Id, quod erat, patriae censetur et omnibus idem
 Carus et in populo multum qui polleat idem,
 Longe aetate prior primos expendit honores. 440
 Multa quidem senior, postquam pervenit ad urbem,
 Fecerat, aut potius temptaverat; invia prorsus
 Omnia reppererat votis inclusa suorum
 Pontificisque animus fervebat turbidus ira.
 Diffususque senex, quando nil proficit: Esto, 445
 Care nepos, sperem te nil quoque perfecturum,
 Experiare licet, num sit tibi gratia maior.

Caetera sunt Calvo temptata pericula; solus
 Leniit et faciles commovit principis aures.
 Sic redeunt hilares et voto compote rursus 450
 Carus et in populo fulget Galeatius ingens
 Omnia pro patria dura expugnare paratus.

Ecce iterum Venetis exercitus alter ab oris

Transit in Etruscos, cui dux Picininus et idem
 Bononiae infensus Iacobus fortisque feroxque 455
 Et qui iura patris repetatque urbemque reposcat
 Et velut insultans. Trepidant populusque patresque
 Insubrumque ducis vires et foedera poscunt.

Iamque aderant equites ducibusque armisque parati
 Compositique tenent fines, qua se hostis agebat. 460
 Quaeritur iis aliquis legatus ab urbe, per omnes
 Qui possit populos victumque aditumque parandum
 Praebere et geminas inter se adiungere vires.

Et multi trepidant invadere munus. In uno
 Respirat populus, illum suadentque iubentque 465
 Decerni et rursus Galeatius actus in arma.

Ille igitur populo nec moriger esse recusat,
 Commoda nec spernit patriae rebusque paratis
 Hanc quoque militiam exequitur, nec fallit amicos.
 Et rem teste gerit mundo sapienter, amice, 470
 Constanter ducibusque ipsis laudatus abunde.
 Nam neque vigiliis, non ille laboribus ullis
 Parcit et impensas duplicat proprio aere luendas
 Alloquiturque duces, suadet, confirmat, honorat
 Interdumque monet, cunctis velut imperet armis: 475
 Tanta viri gravitas, tanta est constantia mentis.

Hic habitus rerum cum pervenisset ad hostem,
 Terruit et, quanquam multa sub nocte minatus,
 Non tamen ausus erat sese committere pugnae,
 Flumine divisus parvo Galeatius illum 480
 Non visum dare terga fugae nudata coegit —
 Et disciplina victus sese inde removit.

At hic eventu laetus formidine dempta
 Invitatque duces propria ad tentoria caros
 Et regum privatus agit convivia, tantus 485
 Confluxit numerus tamque omnibus omnia plene
 Feceruntque satis votisque accepta fuere.

Insuper et ducibus donis ubicunque benignus
 Obstrictos meritis vinxit per saecula longa.
 Carior et parto rediit post multa triumpho, 490
 Hostibus exclusis, defensis protinus agris,
 Atque duces equitesque omnes dimisit amicos.
 Maximus ille, duci primus qui restitit Afro
 Non hoc utilior, non hoc sapientior urbi
 Consuluit patriae bellis et pace verendus. 495

Haec sunt digna viris opera, haec virtutis avitae
 Ducta per exemplum patriumque beantia nomen.
 His Calvus nituit, cum caetera turba iuberet:
 Ite per opprobria et capiti insultate verendo,
 Neve timeate deos, hominum neu sensa timeate. 500

Pluribus interea Lodovicos mente refectus
 Hostibus exclusis, claris et honoribus auctus,
 Pontifici acceptus, vitae securus adeptus,
 Cernens et natum tanto splendore nitentem
 Donatumque bonis, felicem prole, secundis
 Undique fortunis cumulatum, in sidera mentem
 Tollit et:

O superi, grates cuncti, inquit, habete,
 Qui mihi plus meritis, votis plus, omnia plena
 Fecistis prolemque meam vidisse beatam
 In patria victis immanibus atque repulsis.
 Vixi equidem, nec amara mihi post ista dabuntur
 Funera. Christe, tibi meque et mea semina mando.

Quid non sancta fides queat impetrare? Repente
 Lux exorta domum percurrit et alta modeste
 Culmina concussit; novit sapientia, quidnam
 Haec portenta velint et quod poscatur Olympo.
 Componit placidus sese modicoque calore
 Praeter consuetum correptus ad ultima mentem
 Vota parat. Nox illa cadit; quae deinde secuta,
 Pulchra dies rebus scribendis. Deinde vocandis
 Ad sese pueris et pulchra voce monendis
 Exacta est. Fax prima patrem vocat inde sacrorum
 Seque recognoscit, veniam petit, accipit ultro
 Sacramenta volens et se committit inungi.
 Parva mora est, rectus componitur, inde modesto
 Suspirans gemitu flatum dimisit anhelus.
 Nemo putet functum, servata est gratia frontis.
 Ac velut intentus curis iacet, esse soporem
 Quis putet, usque adeo fuit illa in morte verendus.

Exprimitur de more dolor luctusque modestus
 Funditur et totam percurrit nuntius urbem:
 Occubuisse virum sapientem et honore beatum,
 Magnanimum Lodovicum et Calvae gentis honorem,
 Semper patricium caput auctoremque senatus,
 Iuris et humanae cui maxima gloria vitae.
 Conspirant animi noxque illa tenacior usque
 Visa; volant omnes tantum producere funus
 Intenti obsequiis; fervet via; cuncta parantur
 Instrumenta, quibus celebrari funera mos est.

Et iam clara dies aderat, iam turba vocatis
 Ordinibus properant. et adest prior ordo senatus.
 Mox et doctorum splendor sub nebride sacra
 Convenit atque locis distinctius omnia fiunt.
 Conventusque omnis coeunt et rite sacrorum
 Pompa aderat, capulo senior compostus honoro
 Tollitur et celsus supra capita alta levatur.

Velamenta tegunt pretiosa volumina circum
 Sacrarum legum capiti pedibusque locata.
 Effertur, media venerandi sistitur aede
 Dominici de more patrum, quibus ante sepulchra 550
 Hic sacrata forent. Ibi conciliator honestae
 Exponit numeratque loco praeconia vitae.
 Caetera rite, quibus res haec consuevit, aguntur
 Et felix tumulto componitur. Inde profectus
 Retro domum repetit pompa comitante suorum
 Et quos atratos mors haec pulcherrima fecit. —
 Successit Laribus heres dominusque relictus.
 Et iam patre carens Galeatius inter amicos,
 Inter coniunctos praestans et honore verendus
 Componit, quae fessa domi, quae tempus amicis 560
 Prospicienda dabat paucisque inclusus agebat
 Noctibus. Inde, ubi iam ratio iamque urbis erat mos,
 Proripit in medios et habet, quae curia patres;
 Hunc quoque de numero recipit pro patre creatum.
 Nam quanquam meritis excesserat omnia signa, 565
 Non tamen ante fuit numero signatus in illo:
 Clarus eques, patriae vindex verusque senator
 Virtutis pretium demum tulit integer, altus
 Et bello invictus tutaque in pace fidelis.
 Haecenus, ut potui titulis decus addere dignum, 570
 O vir Calve, tuis, feci sine fraude libenter,
 Et faciam, dum vita comes, nec me ulla vetabunt
 Iussa verenda tuum mandare ad sidera nomen:
 Haec te Musa prior, haec te suprema sonabit,
 Nulla mihi sine te quaeretur gloria dictis.
 Angimur usque tamen, Galeati, carmina quod sint
 Nostra minora tuis meritis et honoribus. Inde
 Nunc breviora damus, quod, si fervente iuventa
 Mens ea venisset nobis, melioribus ambo
 Staremus tabulis incisi adamante perenni. 580
 Tu facere ingenium poteras, ego verba canoris
 Reddere digna modis, nunc me mea deserit aetas,
 At tua facta queunt alium meruisse poetam,
 Vel sine vate tuis effulgere fama triumphis,
 Quae te clara satis per totum praedicat orbem. 585
 Interea exiguis numeris contentus abito,
 Maxime vir sacris non indignande cothurnis.

SCRIPTURA.

Variantes lectiones ad scripturam attinentes separatim collegimus. Parenthesibus lectiones clausimus, quae raro vel semper in codicibus proveniunt. Asteriscum (*) posuimus, si ex eadem radice derivata oriuntur (exempli gratia: pretium, pretiosus).

Vocales: *ae* (e) — *au* (eu): Nicolaus (Nicholeus) — *e* (ae); cedere, celare, celsus, cenare, cepisse (ex: capere),* Ceres, fecundus, femina,* heres (haeres), telum — *e* (i): Bentevolus — *e* (oe): cepisse (ex: capere), fecundus, femina* — *i* (e): vindicare — *i* (ii); his — *i* (y): Aegides, Christus, hiberus,* Ligures, nimbus, Sibylla (Sybilla), sidus,* silva, Silvester — *oe* (ae, e): coepisse,* foedus, moenia, Phoebus, poena, proelium — *y* (i): Dionysius, lachryma,* Olympus, Polymnia, presbyter, Sibylla (Sybilla), Tydeus.

Consonantes: *c* (cc): acer, Acius, Oceanus — *c* (ch): catholicus (chatolicus), Nicolaus (Nicholeus) — *c* (t): commercium, condicio, convicium, deliciae, fiducia, Lucia, socius* — *Reliquimus c*: nequiquam (nequicquam) — *cc* (c): oculare — *cch* (ch): brachium — *ch* (c): Christus, lachryma,* Michalus — *ct* (t): arctos, cunctari — *ct* (tt): octo* — *dc* (cc): idcirco — *d* (t): sed — *f* (ph): profanus — *h* (—): Helvetius, hesternus (exthernus), hortus, — *h* (ch): mihi, nihil — *Reliquimus h*: auster (hauster), Etrusci (Hetrusci), Iesus (Ihesus), Ioannes (Iohannes), ostium (hostium) — *k* (c): Karolus — *l* (ll): elabi, elogium, milia, querela, religio, telum — *ll* (l): mille — *m* (n): circumd- (circundare), circumf-, circums-, circumv- — *mm* (m): comminus, communis, stemma, summus — *mn* (nn): gymnasium, scamnum, solemnis, somnus* — *mpt* (nt): temptare — *n b* (mb): in bellum (imbellum) — *nn* (n): pinna — *n p* (mp): in pium (impium) — *ph* (f): cataphractus (cathafRACTUS), Rodolphus — *pp* (p): opportunus, reperrisse — *qu* (c): sequuntur — *r* (rr): eripere (erripere), erumpere (errumpere), Navarinus — *rt* (ret): artus* — *s* (ss): casus — *s* (x): tessera — *Reliquimus s*: exurgere — *t* (c): amicitia, avaritia, blanditia, Galeatius, gratia, iustitia, Lambertatii, mundities, nuntiare,* otium, patior, pretium, seditio, segnitie, spatium, vitium — *t* (th): Antenor, cataphractus (cathafRACTUS), catena, hesternus (exthernus), tesqua, torus — *th* (t): catholicus (chatolicus), Katharina — *tt* (t): quattuor — *x* (s): mixtus.

ANNOTATIONES CRITICAE.

n. m.: nota marginalis — *om.*: omittit, omittunt — *s. m.*:
secunda manus

Tit. Thomas—gesta] Historia Bononiensis Thomae Senecae Qualiter dominus Galeaz Marescottus eques extraxit magnificum Hannibalem Bentivolum de carceribus et reliqua per utrunque gesta eleganter *B*, Opera Thomae Senecae qualiter d. Galeaz Marescottus Calvus extraxit Hannibalem Bentivolum de carceribus. Et reliqua per utrumque gesta lege faeliciter *V*, Historia Bononiensis Thome Senece qualiter d. Galeatius Marscottus eques extraxit magnificum Hannibalem Bentivolum de carcere et reliqua preclara gesta per eos. Incipit et lege diligentissime *M*

Liber I. — Tit. Liber I. om. BVM — 4. cernes V — 6. quando] quoniam V, n. m. alias quoniam M — 18. primus V — 25. Barbarus—videret, posterius inscr. BM — 28. Quid B — carcer BVM — 29. unumque pre V — 30. iis VM — 31. Iis VM — 37. parent V, parent corr. ex pararent M — 41. duos V — natos B — compellat B, s. m. alias appellat M — 51. Bentivoli V, corr. in Bentivoli M — circumspectusque V — 68. hac BV — 69. Mittere V — 75. id] his M — 76. ptendum B — 90. aditumque VM — 91. Ianesius B — 96. Bentivoli V, corr. in Bentivoli M — 102. custodiam V — 104. pueribus V — 108. si quid] quid V — 122. Ianne-sum VM — 144. Assimilisque V, n. m. alias assimilis B — 153. foror V — 155. Iam] Nam V — Phytiaeque BM, Pythieque V — 156. Perithoique B — 158. Meneaciden BV, Meneaciaden M — 160. Pilades BM — Horestem BM — 163. addidit B — 164. ducis V, n. m. alias ducis M — 172. ituturi V — 174. Alulusius V — 177. versusus V — 180. Spelumberte B — 189. Flus V — 193. plema V — 199. mo V — fuducia V — 211. Aut ego] Au ego B — 215. abiectare V — 216. et om. V — 221. Titata V — 238. Guelfa VM — 239. se om. BV — 251. Progressi M — 257. paurant M — 268. et patriam] patriam B — 275. pueribus V — 277. Atque] Ac V — 289. tam] fam V — 290. tangat M — 297. seque- retur V — digna] certa VM — 312. tacitorum] tantorum, n. m. alias tacitorum M — 329. spaciueque B — 342. rursum B — 347. addiceta V — 369. ruulsis V — 378. compertam] cum portam V — 396. Et] It V — 399. comprehensum VM

— 401. urgenti] ingenti *M* — 440. videant multa *B* — 572. et] et ad *BM* — 598. mihi *BV*, michi *M* — 618. Tyrintius *BM*, Tyrentius *V* — 620. electos *B*, *corr. ex electos M* — 662. comprehenso *V* — 669. Mazam cognomine *M* — 687. primum *om. BM* — 739. vindicularia *V* — 761. vetule, *corr. ex venule B*, venule *VM* — 793. mollis *M* — 828. nitentes *M*

Liber II. — Tit. Liber II. om. BV, Explicit liber primus, incipit secundus B — 67. labori labori *V* — 77. ergo "ignibus inquit "poscentem *V* — 87. plumpi *M* — 95. se *BVM* — 99. Iannesus *VM* — 107. Vermes] veniens *B* — 115. fatigant *M* — 156. debemus *V* — 158. Teritus *V* — 159. inhorus *V* — 163. fiduci *V* — 172. retulit *VM* — 186. ubi] qua *V* — 188. servare *V* — 198. clari] dari *B* — 218. Nox—urbe *om. V* — 258. repetenda] renovanda *B* — 260—61. Donato dat—frequens] Donato dat frequens *V* — 265. frequens *B* — 290. Exeuterat *B* — 293. Georgii *VM* — 329. Constituere *B* — 345. Aspicias—daturus *om. V* — 400. sequamur *B* — 446. atque] ac *V* — 451. Et—secures *om. V* — bello *M* — 472. item] iter *B* — 473. Iannesius *BVM* — 474. emeruit *VM* — 492. par *B* — 504. revellat *VM* — 510. o] do *B* — 515. novare *BVM* — 529. tuentur *B* — 546. dive *V* — 557. oblata *B* — 575. noscent *M* — utrunque *M* — 581. proflugata *V* — virorum] meorum *V, n. m. alias meorum M* — 604. his *om. B* — 626. vell et *V, n. m. alias et M* — 635. munina *B*

Liber III. — Tit. Liber III. om. BV, Explicit liber secundus, incipit tertius M — 12. paulum] primum *B* — 21. Achilles *M* — 47. Intra *M* — 60. Egressus *V*, Progressus *M* — 61. Tirbaldelli *B* — 65. Ingressus *B* — 107. redundet *M* — 115. furiosa] immensa, *n. m. alias furiosa M* — 120. moderemur *B* — 135. omnis *B* — 136. patriea *V* — 139. sim *VM* — 141. alti] aliter *V* — 151. Commoda, quae] Commodatque *V* — 152. qui *B* — 155. ardentius *V* — 157. Hunc] Nunc *V* — 192. fecimus *V* — 221. calida quoque] callidaque *VM* — 222. modus ipse *BVM* — 228. Perdita *B* — 251. Non—timebat *om. V* — 254. prehensoque *BVM* — 279. Thesiphone *BM* — 294. Mazza *B* — 302. heras *V* — 303. rilingunt *V* — 345. Galassius, *corr. in Gallassius M* — 348. Heus *VM* — 392. dabit *V* — 436. peste *VM* — 503. nimis] minis *VM* — 531. Rem—urbe *om. V* — 533. curant *BM* — 546. intra *M* — 553. Quo *V* — 555. iuraverunt *V* — 563. fatum] fum *V* — 589. Prosperitas *M* — 598. cuiquam *V* — 603. favens] vavens *V* — 608. fulcique *M* — 615. Haec] Nec *BV* — 644. et *om. M*, et multi] multique *V* — 657. petvsse *V* — 658. alii *B* — 690. assumptum *B* — 708. hic *B* — 709. erat *M* — 715. qui fuerat *om. V* — quis *M*

Liber IV — Tit. Liber IV. om. BV, Explicit liber tertius, incipit quartus M — 17. haberent M — 42. accedant VM — 51. Henetum BVM — 86. reliquunt V — 120. Guglelmus V, Guglelmus M — 154. trahit] ducit BM — 168. haec est VM — 173. darent M — 177. Bucifalus BVM — equi V — 181. Qui B — potent] feroci VM — 198. pares, corr. s. m. in partes V — 213. Budellum] liendrum V — 220. cadens om. B — 230. conutia V — 231. revissunt V — 235. Nicholei BM — 243. Gipseus M — 245. Roccha BM — 247. Viginti—altis om. V — 250. salvus VM — 276. Tantusi V — 290. peteret] pater V — 311. revellent M — 348. ex] et B — 359. His B — 365. colligit B — 373. complexibus VM — 378. qui primus M — 386. Pucher V — 388. inviodiosa V — 456. reposcant B — 470. gerit] regit M — 490. reedit BVM — 544. ceunt V — 580. adamonte V — 584. tuis] suis BV

Finis B, Amen V, Thome Senece de gestis d. Galeacii Marscotti et Hannibalis Bentevoli liber IIII-us explicit et ultimus M

INDEX NOMINUM.

Numeri currentes (1—4.) ad libros attinent.

v.: vide

- | | |
|---|---|
| <i>Achelous</i> 1, 400. 2, 327. | <i>Avizanus</i> (de Vizano), Melchior 1, |
| <i>Achilles</i> 1, 157, 798. 3, 318. | 691, 703, 709. 3, 580. |
| <i>Acius</i> , v. Quarto. | <i>Bacchei</i> liquores 2, 327. |
| <i>Aegides</i> (Theseus) 1, 156. 467. | <i>Bacchus</i> 1, 494, 500. |
| <i>Aeneas</i> 2, 89. 4, 289. | <i>Baiones</i> (Baglioni) 4, 154. |
| <i>Aenomai</i> greges 3, 317. | <i>Bazanus</i> (prope Bononiam): 4, 166, |
| <i>Afer</i> dux (Hannibal) 4, 493. | 195. |
| <i>Agabitus</i> 3, 295. | <i>Bedorus</i> presbyter 4, 243. |
| <i>Agrippa</i> 1, 149. | <i>Bentevola</i> domus 1, 684. |
| <i>Alcibiades</i> 4, 396. | <i>Bentevoli</i> (Bentivoli) 2, 173, 501. — |
| <i>Alpes</i> (Alpem) 1, 291. | iuvenes 3, 562. |
| <i>Antonius</i> 1, 410, 417, 423, 434, 452. | <i>Bentevolus</i> (Bentivolus), Hannibal 1, |
| 513, 530. | 30, 45, 96, 209, 271, 397, 459, 471, |
| <i>Antonius</i> presbyter 3, 297. | 489, 503, 560, 574, 600, 654, 683, |
| <i>Apollo</i> , v. Delius, Phoebus. | 687, 707, 710, 724, 775, 779, 857. |
| <i>Arion</i> 3, 316. | 2, 1, 13, 62, 103, 127, 151, 198, |
| <i>Atrides</i> 4, 268. | 207, 226, 339, 349, 417, 429, 441, |
| <i>Augustus</i> Caesar 1, 149. | 446, 462, 593, 597, 624. 3, 29, 218, |
| <i>Aurora</i> 1, 753. 4, 253. | 231, 238, 247, 369, 373, 537, 542. |
| <i>Ausonia</i> 3, 126, 189. | <i>Blancella</i> gens 1, 169. 2, 268. |

- Blancellum* genus 3, 409.
Blancellus (Blanchettus), Karolus 1, 170. 2, 268, 354—55. 3, 410.
Bononia (v. Felsina) 1, 26, 86, 93, 264, 698. 2, 169, 501, 637. 3, 717. 4, 108, 256, 455,
Bononiense solum 3, 721. 4, 358.
Bononiensis (populus) 3, 63. — turba 1, 846.
Braccius 4, 153.
Briareus 1, 279, 282.
Budellus mons 4, 213.
Bucephalus equus 4, 177.
Caballus, Antonius 3, 295.
Cadmus 1, 168.
Cadurci, lintres 1, 741.
Caesar, C. Iulius 1, 355. 4, 177, 226.
Caesareum exemplum 1, 307.
Calva gens 1, 680. 4, 533.
Calvi 1, 851. 2, 233, 464. 3, 58, 135, 271, 537, 581. — fratres 3, 584. — iuvenes 2, 429, 446. — penates 3, 660.
Calvus sanguis 4, 244.
Canneduli (Canetoli) 3, 20, 384, 470, 480.
Cannedulo (Canetoli), Baptista de 3, 153, 216, 224, 487.
Capraria, Iacobus de 1, 679.
Castello, Dionysius de 3, 334, 246. 4, 431.
Castor 1, 220.
Cazalupus, Lodovicus 2, 272.
Ceres 1, 494.
Christus, Iesus Nazareus 1, 164. 2, 246, 597. 3, 40, 149, 263, 577. 4, 262, 301, 512.
Colleo, v. Culeo.
Cornelii forum 3, 62.
Culeo (Colleo), Bartholomeus 3, 723. 4, 72, 116.
Curius 3, 195.
Cyllarus equus 3, 317.
Damon 1, 155.
Deiopeia 1, 10.
Delius (Apollo) 2, 525.
Diomedea fama 1, 799.
Dominicus, sanctus 3, 631.
Drias 2, 561, 573.
Etruscae orae 2, 118.
Etrusci 4, 454. — fines 2, 634.
Eugenius papa, IV. 4, 235.
Federicus Magnus II. imperator 3, 70.
Felsina (v. Bononia) 1, 14. 3, 243.
Felsineae vires 2, 124.
Felsinei 4, 221.
Felsineus dux 2, 377. — miles 2, 456.
Ferraria 4, 357.
Ferratus (de Monferrato), Guglielmus 4, 120.
Franciscus divus 3, 422.
Gallasius (Galassius), Guido 3, 341, 345.
Galleria (Castello di Galiera) 3, 471.
Galli 2, 460. 3, 550. 4, 228.
Gambacurta, 4, 132.
Garellus, Iacobus 4, 242.
Georgius, Sanctus (San Giorgio, prope Bononiam) 2, 242, 293.
Germani 4, 227.
Ghislerius (Ghixlerius), Franciscus 3, 248—49.
Gipseus v. Gypseus.
Guelpha, moenia 1, 238.
Gypseus (Gipseus), Rodolphus 4, 242—3.
Hannibal, v. Afer dux.
Helvetii 1, 291.
Hercules (v. Tirynthius heros) 1, 468, 3, 175.
Herculei nodi 1, 134, 401.
Herculeus honor 4, 381.
Iacobus apostolus sanctus (templum eius in Hispania [Santiago de Compostela]) 1, 323. 3, 572.
Iannesius, v. Rocha.
Iasonius decor 4, 383.
Iesus, v. Christus.
Insubres 1, 626. 3, 564. 4, 109, 458.
Ioannes Baptista 3, 245, 267.
Ioannes, sanctus 4, 156.
Italia 1, 291. 3, 78, 82, 165, 238, 548.
Iunius (mensis) 1, 674.
Iuppiter 1, 334.

- Katharina*, uxor Galeatii Marescotti 3, 661.
- Lacones* 4, 384.
- Laelius* 1, 149.
- Lambertatii* 3, 56.
- Lares* 1, 857. 2, 5, 593. 4, 403, 557.
- Latium* 3, 75.
- Lidi* 4, 122.
- Ligures* 1, 70, 244. 2, 612.
- Lino*, Iacobus de 2, 273, 443—44, 464. 3, 477.
- Lucia* 2, 288.
- Lucifer* 1, 365.
- Macedones* 4, 176.
- Malavolta*, Iacobus 1, 151, 361, 435.
- Malcantona* 1, 677.
- Malvetia* gens 1, 648.
- Malvetii* 1, 721. 777, 3, 582.
- Malvetius* (de Malvetiis), Achilles 3, 21, 407. — Gaspar 3, 21, 478—79. — Hestor 2, 266. 3, 392, 583. — Ioannes 1, 647. — Karolus 3, 407. — Lodovicus 2, 267. 3, 407. — Virgilius 3, 22, 406.
- Manfredus*, Hestor 2, 41. 3, 538.
- Mantua* 4, 416.
- Manzola* rura et domus 4, 159.
- Marchesius* 1, 389, 397, 440, 478.
- Marescotta* domus 1, 686. 3, 205.
- Marescottus*, Achilles 4, 380. — Agamemno 4, 378. — Agesilaus 4, 385. — Albertus 3, 57, 65. — Amodeus 3, 95. — Antenor, filius Lodovici 1, 852. 2, 468. 3, 275. — Antenor, filius Galeatii 4, 384. — Corradus 3, 69. — Florianus 4, 243—44. — Galeatius 1, 50, 95, 137, 182, 189, 194, 200, 207, 260, 378, 399, 404, 411, 426, 457, 477, 512, 595, 724, 781, 793, [851], 859. 2, 51, 69, 75, 82, 95, 147, 181. 3, 280, 322, 353, 413, 417, 450, 465, 474, 502, 726. 4, 78, 136, 148, 181. 218, 260, 292, 299, 327, 422, 427, 431, 435, 448, 451, 466, 480, 498, 558, 571, 576. [— Hercules 4, 381.] — Iason 4, 386. — Ioannes, pater Lodovici 3, 98. — Ioannes, filius Lodovici 1, 48, 666—67, 702, 776, 829. 2, 149—50, 172. 3, 275. — Ioannes, filius Galeatii 4, 382. Lodovicus 1, 60, 185. 3, 49, 99, 134, 592. 4, 312, 328, 501, 533. — Nicolaus 3, 96. — Orlandinus 3, 73. — Scipio 4, 387. — Theseus 4, 379. — Tydeus, filius Lodovici 1, 132, 359, 409, 417, 433, 828, 851. 2, 99, 149. 3, 277, 670. — Tydeus, filius Galeatii 4, 384.
- Maria* 2, 527.
- Marinus* (de Loiano), pater Michali 1, 142.
- Mars* (v. Mavors) 1, 12. 2, 382, 430, 464, 472, 602. 3, 175, 318, 405. 4, 191. — Pfcininus 1, 292.
- Martius* Galeatius 2, 75.
- Mavors* (v. Mars) 2, 376. 3, 278.
- Maza*, Silvester 1, 669. 3, 294. 4, 246.
- Melchior*, v. Avizanus.
- Menoetiades* (Patroclus) 1, 158.
- Mezentius* 4, 180.
- Michalus* (Michael), filius Marini (de Loiano) 1, 142, 361, 404, 412, 436, 473, 482, 652. 3, 298, 467.
- Minerva* (v. Pallas) 4, 107.
- Moecha* 1, 238.
- Mozio* equus 3, 314, 327.
- Musa* (v. Thespia) 3, 652. 4, 574.
- Mutinenses* (agri) 3, 64. — agri 4, 221.
- Mutinensia* rura 1, 176.
- Navarinus*, Petrus (Pierus) 2, 123, 238, 341, 414, 435. 3, 351, 418, 465, 511.
- Nazareus*, v. Christus.
- Nereides* 1, 279.
- Nicolaus* papa, IV. 4, 235.
- Oceanus* 1, 820.
- Ocellus* (castellum Oxellini, Corticella; prope Bononiam) 4, 355.
- Olympus* 1, 290. 3, 281, 415. 4, 516.
- Orestes* 1, 160.
- Palatia* Romae 4, 236.
- Pallas* (v. Minerva) 3, 281, 413.
- Parma* 1, 177.

- Parmenses agri* 1, 92. — *muri* 1, 227.
Patroclus, v. *Menoetiades*.
Pegasus 3, 317.
Pepuli 1, 704. 2, 471. 3, 544.
Pepulus (de *Pepulis*), *Opicus* 2, 271, 471. — *Romeus* 1, 704, 711, 716, 766, 789. 3, 544, 546, 574.
Perusinus (*Franciscus Picininus*) 1, 786. — *sanguis* 4, 153.
Petrus apostolus 3, 395.
Philippus Maria *Visconteus* 3, 235.
Phitias (*Phintias*) 1, 155.
Phoebus 1, 237, 255, 495, 567, 644. 2, 335, 461, 609. 3, 415. 4, 155.
Picininus 1, 292. — *Franciscus* 1, 819. 3, 23. 4, 127, 185, 209, 454. — *Iacobus* 4, 455. — *Nicolaus* 1, 75.
Pierus Maria 3, 327.
Pinacrus, *Ioannes* 4, 245—46.
Pogius equus 4, 173, 181.
Polymnia 3, 653.
Pontica regna 4, 397.
Pratellum 3, 339.
Pylades 1, 160.
Quarto (*Quartanus*), *Acius* (*Accius*) de 2, 271, 446—47, 470.
Rangonum genus 1, 181.
Rangonus, *Gherardus* 1, 180, 569, 574, 649.
Rhegion 1, 177, 649.
Rhenus flumen 4, 162, 226.
Rhenus fluvius Bononiam praeterfluens 1, 659.
Rocha, *Iannesius* (*Ianesius*; *Zenese Parolaro*) 1, 91, 122, 360, 435, 795. 2, 53, 99, 234, 473. 3, 299, 467. 4, 137, 245.
Roma 4, 236, 251, 257.
Romana tecta 4, 433.
Romulei penates 4, 252.
Ruber (de *Rubeis*), *Bartholomeus* 2, 472.
Sala, *Bornius* de 3, 580, 586.
Samodia (prope *Bononiam*) 3, 67. 4, 133, 146.
Scipiadus 1, 148.
Sibylla 4, 289.
Simo (*Simonettus*; da *Castello*) 2, 118, 341, 383, 435.
Spelimbertaina arva 1, 568.
Spelimbertainus 1, 180.
Spezza 3, 294.
Tartara 3, 313, 497.
Tartarus (da *Bettona*) 2, 73, 580, 628, 633.
Tarus fluvius 1, 534.
Tarvisius (*Trevisanus*), *Zacharia* (*Zacharias*) 3, 343.
Teucer 3, 318.
Teucris 4, 180.
Thaumatias 1, 367.
Thebanae arces 1, 167.
Theseus, v. *Aegides*.
Thespia (v. *Musa*) 1, 1.
Thessalus 1, 219.
Thetis 1, 281.
Tibaldellus 3, 61.
Tibertus (*Brandolinus*) 2, 121, 347.
Tirynthius heros (v. *Hercules*) 1, 618.
Tisiphone 3, 279.
Titan 1, 221.
Torellus 3, 294.
Trevisanus, v. *Tarvisius*.
Tusculum stemma 3, 343.
Tusculum, *Donatus* (*Nicola*) 3, 343—44.
Ubalдинus, *Pierus* 3, 296—97.
Varanum 1, 173.
Venetae orae 4, 453.
Veneti 4, 51, 122.
Venetum hostis 4, 110. — (*populus*) 2, 120.
Vermes, *Aluisius* (*Conte Luigi dal Verme*) 1, 174. 2, 107, 158, 391, 427.
Volta, *Baptista* de 2, 274. 3, 468.
Vulcania proles 2, 74.

BIBLIOTHECA SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ

SAECULA XII—XIII.

P. magister, quondam Bele regis Hungarie notarius, Gesta Hungarorum ed. Juhász. 1932. — — — — — RM. 5,40

SAECULA XIV—XV.

Barbarus, Candianus — Barbara, Constantia, nata Memo — Barbarus Maior, Zacharias, Testamenta ed. Gothein. 1933. (Excuditur.)
Trevisanus Maior, Zacharias, Orationes et testamentum edd. Bertalot — Gothein. 1933. (Excuditur.)

SAECULUM XV.

Barbarus, Franciscus, Epistolae ed. Gothein. 1934. (Apparebit.)
— Orationes. Accedunt orationes Gasparini Barzizii et Matthaei Bissarii et Ambrosii de Advocatis et Tobiae Burgi et Iohannis Spillimbergensis ad Franciscum Barbarum habitae ed. Gothein. 1933. (Excuditur.)
Barius, Nicolaus — *Kostolan*, Georgius Polycarpus de — *Hungarus*, Simon — *Zagabriensis*, Georgius Augustinus, Reliquiae ed. Juhász. 1932. — — — — — RM. 1,50
Callimachus Experiens, Attila. Accedunt opuscula Quintii Aemiliani Cimbriaci ad Attilam pertinentia ed. Kardos. 1932. — — — RM. 1,70
Martius, Galeottus, Carmina ed. Juhász. 1932. — — — — — RM. 1,80
— De dictis ac factis regis Mathiae ed. Juhász. 1933. (Excuditur.)
— Epistolae ed. Juhász. 1930. — — — — — RM. 1,—
— Invectivae in Franciscum Philelphum ed. Juhász. 1932. — — RM. 2,50
Pannonius, Ianus, Opera ed. Huszti. 1933. (Apparebit.)
Philelphus, Franciscus, Sphortias edd. Fögel—Juhász. 1933. (Excuditur.)
Ransanus, Petrus, Epitoma rerum Hungararum ed. Juhász. 1933. (Excuditur.)
Seneca, Thomas, Historia Bononiensis. Qualiter Galeatus Marescottus eques extraxit Hannibalem Bentevolum de carceribus et reliqua per utrunque gesta. Carmen epicum ed. Fögel. 1932. — — — RM. 3,60
Valagussa, Georgius, Epistolae ed. Juhász. 1933. (Apparebit.)
Verinus, Ugolinus, Carlias edd. Fögel—Juhász. 1933. (Apparebit.)
— Panegyricon ad Ferdinandum regem et Isabellam reginam Hispaniarum de Saracenae Baetidos gloriosa expugnatione edd. Fögel—Juhász. 1933. (Excuditur.)
Vitez de Zredna, Iohannes, Epistolae ed. Juhász. 1933. (Apparebit.)
— Orationes ed. Juhász. 1933. (Apparebit.)

SAECULA XV—XVI.

Celtis Protucius, Conradus, Amorum libri IV. ed. Pindter. 1933. (Excuditur.)
— Ludus Dianae — Rhapsodia ed. Rupprich. 1933. (Excuditur.)
— Oratio in gymnasio in Ingelstadio publice recitata. Cum carminibus ad orationem pertinentibus ed. Rupprich. 1932. — — RM. 1,30
Fontius, Bartholomaeus, Carmina edd. Fögel—Juhász. 1932. — — RM. 2,—
— Epistolarum libri III. ed. Juhász. 1931. — — — — — RM. 4,50
Piso, Iacobus, Opera ed. Juhász. 1933. (Apparebit.)